
AA.7.
6
13-E
9
6
12 M
37
6-11. G. 60
6-13-E-9

X. 12.25.

IVLII·ROSCII HORTINI

ELOGIA MILITARIA

AD . SERENISSIMVM . VRBINI . DVCEM
FRANCISCVM · MARIAM · FELTRIVM
DE . RVERE.



BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ROMAE, Apud Io. Angelum Ruffinellum,
Typis Bartholomaei Bonfadini CIↃ IↃ XCVI

SVPERIORVM. PERMISSV

8

Illuſtres animae, quas non uis aſpera ferri
Abſtulit, aut rapido feruidus igne rogus,
Viuite felices, & noſtros ducite honores,
Hic labor exiguus ſi quid honoris habet.
Quod potuit tenue Elogium, tenuisq. tabella,
Effigies uiuent, claraq. facta Ducum.

FRANCISCO . MARIAE
F E L T R I O
D E . R V E R E

S E R E N I S S I M O
V R B I N A T V M . D V C I

BIBLIOTECA ROMA VITTORIO EMANUELE

PHILIPPVS . DECIVS . HORTINVS . I . C.
F E L I C I T A T E M

MILITARI uirtuti, SERENISSIME DVX, qua defenduntur & propagantur imperia, tantus ſemper honos eſt habitus, ut nihil ex is, quae inter Mortales praeclara in pretio habentur, pari laude cēſeatur. Fortes enim uiros, & cum animi robore ſaeptos, tum manu promptos atq. eos praeſertim, qui exercitibus praefuerunt, resq. maximas ſuo ductu geſſerunt, nemo eſt, qui non admiretur. Et merito. cum nihil aeque ſit admirabile, quam inueniri homines, qui ſui oppoſitu corporis, aut Principem, aut patriam, aut religionem defendant, quiq. ob haec armati inter medias acies animam ac ſanguinem profundere non reformident. O heroicam uirtutem, & omni ſummorum honorū genere proſequendam. Per hanc laureae, per hanc triumphi pariuntur. Haec columnis, haec trophaeis, haec ſtatuis honoratur. Huic Oratorum praeconia, huic Hiſtoricorum uoces,

* 2 huic

huic Poetarum carmina reſonant. Quid plura? Bellicoſorum ducũ non modo facinora ſuſpenſi legimus; ſed imagines & ora quomodocumq. expreſſa admirantes intuemur. Iuuat trucem illius in hoſtem aſpectum contemplari: Alterius in imperando ſeueritatem fronte conſignatam iucundum eſt cernere. Hic affabilitatem erga milites oculis repraeſentat: Ille prudentiam in prouidendo uultu ipſo demõſtrat. Quo magis laudandum eſt eorum cõſilium, quos fortium Imperatorum imagines domi depictas habere delectat: nec debita fraudandus laude, qui centum clarorum ducum imagines aere inciſas nuper in lucem dedit, ac gentibus ſpectandas propoſuit. Sed reuera, ſeu picta, ſeu inciſa imago, corpus eſt ſine anima, donec aliqua rerum ab eo, cuius eſt imago, geſtarum explicatione & illuſtratione caruerit. Vidit hoc pro ſingulari iudicio ſuo iampridem conciuis atq. affinis meus, Iulius Roſcius Hortinus, nempe ab eo tempore, quo illae ipſae centum militares imagines parabantur: de quo cum inciſorẽ admonuiſſet, ab eo rogatus, luculentas in eas exorſus eſt explicationes. Ceterum homo pluribus rebus honeſte occupatus, atq. itinere, quod ſanctae fidei ſtudio ſuſceperat ad Heluetios, abſtractus, rude opus, ac tamquam Apellis Venerem, inchoatum reliquit. In ſua magno undiq. ſtudio collecta, ac numeroſa Bibliotheca, inter magnam ſtruem librorum, poſtquam ille in medio curſu eſt ad ſuperos euocatus, monumẽta haec eius ingenij Romae a me reperta ſunt. De quibus cum clariſſimis uiris, ac ſtudioſis etiam non eſſet ignotum, rogatus ſum ſaepius, ut ea edere, atq in lucem proferre uellem. Negaui primum, quod ſemilaceras paginas, ſcripturam multis lituris interpolatam, atque, ut dixi, rude plane, & inchoatum opus uiderem. Ceterum diu multumq. rogan-

tium praeſertim eorum uirorum, quorum ob dignitatem, ac nobilitatem ſumma eſt apud me auctoritas, precibus cedere ſum coactus. Bona igitur cum uenia felicis illius animae, quam in caelo propter egregias ſuas uirtutes aeuo frui ſempiterno credimus, aleam ieci, atq; has militarium imaginũ illuſtrationes ad LXXV. (tot enim Roſcius reliquerat) nihil mutando, (quamquam ille ſine dubio plura mutaſſet in melius) typis mandari permiſi. Quibus cum patronum aliquem nominis maieſtate praeſtantẽ quaererem, Tu mihi unus, SERENISSIME DVX, occurriſti, qui aptiſſimus uidere re, cui haec a me affinis mei lucubratio commode dicari poſſet. Nam, etſi me priuatae ſortis hominem nulla Celſitudini Tuae benemeritae ſeruitutis uincula obſtringunt, Tua tamen in ſublimi poſita gloria, cuius longe lateq; ſplendor collucet, quemlibet ſuapte ui allicere poteſt, ut de ſua incredibili facilitate, atque humanitate confidat. An Principi ſanguine, titulis, ditione, &c, quod ſummũ eſt, ingenio, ac uirtute pollenti non conueniat qualiacumque ingenuae, ac liberalis eruditionis opera dicare? An DVX e CLARISSIMA FELTRIA DOMO, quae alumna ſemper, & fautrix laudandarũ artium fuit, non accipiat laeta fronte, ſi quid ei a muſis, aut a Minerua munuſculi offeratur? Nulla certe, (norunt hoc omnes) nulla FRANCISCO MARIAE VRBINATI DVCI gratiora, & iucundiora dona ſunt, quam quae non auri, uel argenti, ſed ingenij pretio atq. pondere expenduntur. Quis hoc infitiari audeat? cum audiat Te ſic inter Regias opes uiuere, ut magnam partem temporis inter nobiliſſimorum ingeniorum monumenta conſumas, quae Tibi pro ſingulari Tuo in optimas diſciplinas ſtudio, ſic in unũ, & eum quidem

dem ornatiſſimum locum ſepoſuiſti, ut nulla ſit in Europa Bibliotheca celebris, quae eam ſuperet, quam Tibi ipſe, nulli ſumptui parcens, ad oblectationem cultumq. animi, in magnificentiſſimis Vrbinatum Ducum aedibus ſtatuiſti; in qua quin his quoque militaribus elogijs qualicumque ſtylo delineatis, partē aliquam loci libēter daturus ſis, quis poſſit ullo modo dubitare? Praeſertim cum inter bellicoſiſſimos uiros, fortiſſimosq. Imperatores, quorum ab Auctore facta cōmemorantur, duos reperturus ſis e glorioſiſſima Familia Tua, quorū longe maxima in armis, & memorabilia facinora exſtiterunt. Qui quidē duo uere Martij heroes, Federicus, & Franciſcus Maria Senior, in nobilem illam Bibliothecam non tamquā in alienam domum hoſpites immigrabunt, ſed in ea tecta alacres, ac pro ſuo iure ingredientur, in quibus uiuentes innumera ediderūt opera excellentis uirtutis. At Tu & horum maiorum Tuorum, & ceterorū res domi foriſq. ſtrenue geſtas recolēs, qui his elogijs celebrantur, inditam pectori Tui animi magnitudinem excitabis, ac recognoſces: qui quamuis pacatiſſimo fruaris imperio, quod pietati Tuae Bonitas Diuina cōceſſit, ſi res tamen ferat, & in aciem progredi paratus es, & pro Chriſtiana religione, proq. libertate Italiae, omnemq. iuſtam ob cauſſam, maiorum exemplo, ſanguinem, & uitam profundere. Quod etſi nomini Tuo glorioſum futurum eſſet, & generoſae mēti, qua praeditus es, optabile, optamus nos tamen, a Deoq. Opt. Max. petimus, ut eadem, qua nunc frueris, pace, Tuq. populiq. Tui quam diutiſſime fruamini, aeuumq. ab omni bellico tumultu alienum in optimis ſtudiis tranquille, ac feliciter agas. Romae. Idibus Iulij. CIↃ IↃ XCVI.

CAN-

CANDIDO . LECTORI

Philippus Decius Hortinus I. C. Sal.

MILITARIVM elogiorum hunc librum, Cādide Lector, a Iulio Roſcio Hortino, affine meo, informatum potius quam perfectum, aequi boniq. conſule. Nam, auctore, dum ad Heluetios religionis ſtudio proficiſcitur, in medio curſu exſtincto, extrema ei manus addi non potuit. Ceterum, cum uehementer me quamplurimi docti, nobilesq. uiri rogarent, ut in lucem prodire paterer, eorum poſtulatis diutius reluctari non licuit. Quibus eo libentius parui, quod non uana ſpe duci uidebar fore, ut, cuius omnia alia ſcripta eruditis probantur, haec quoque eiuſdem, etſi rudia, & inchoata, non diſplicerent. Fortiſſimos autem duces, quorum hic nomina celebrantur, alphabeti ordine collocari curaui, ne, ſicut olim uirtutis fuit, ita nūc loci inter eos contentio aliqua oriretur. Quod & his, ad quos ipſorum gloriae hereditas pertinet, non ingratum, & legentibus etiam ad ſingulos reperiendos percommodum futurum putaui. Vale.

INDEX ELOGIORVM

ALEXANDER Vitellius pag. 1
Aloyſius Gonzaga primus. 4
Aloyſius Gōzaga dux, dictus Turcus. 6
Aloyſius Gonzaga, Rhodomontis cognomento. 8
Alphonſus Rex. 11
Andreas Auria. 14
Andreaſsus Caſtellus Senior. 17
Angelus Sanuitalis 21
Anneus Memorantius. 23
Antonius Leua. 26
Aranus Cybo. 29
Ariadenus Ahenobarbus. 32
Baiazetes I. Turcarū Tyrannus. 35
Bartholomaeus Bergomas. 38
Bartholomaeus Liuianus. 41
Braccius Peruſinus. 44
Camillus Vitellius. 47
Camillus Vrſinus. 49
Campſon Gaurus. 52
Canis Scaliger primus. 55
Canis Scaliger ſecundus. 58
Carolus Albernotius. 60
Carolus Sequanorum Dux. 63
Caſtrucius Caſtracanis. 65
Conſaluus Ferdinandus. 68
Eraſmus Gattamelata Narniēſis. 71
Farinata Vbertus Florentinus. 74
Federicus Feltrius. 77
Federicus Gonzaga. 80
Ferdinandus rex Catholicus. 83
Ferdinandus Aualus Piſcara. 85
Ferdinandus Corteſius. 88
Ferdinandus Gonzaga Mel. Princeps. 9
Franciſcus primus Galliae Rex. 95
Franciſcus Carmagnola. 98
Franciſcus Gonzaga. 100
Fr. Maria Feltrius de Ruere. 103
Franciſcus Sfortia. 106
Fridericus I. Imp 108
Gaſto Foiſseius Gallus. 111
Georgius Caſtriota Epirotarum Princeps. 114
Hercules II. Ferrariae Dux. 116
Hieronym' Triſtanus Caſtellus. 118
Io. Aloyſius Fliſcus Ligur. 123
Ioannes Aucuthus Britannus. 128
Ioannes Bentiuolus. 131
Ioannes Franciſcus Gonzaga. 133
Ioannes Galeatius Vicecomes. 136
Io. Iacobus Triultius. 139
Ioannes Vitelloſcus. 142
Ladislaus Rex. 145
Lodouicus XII. Galliae Rex. 147
Lodouicus Pannoniae Rex. 150
Maſtinus Scaliger I. 153
Matthaeus Roianus. 155
Matthaeus Vicecomes. 157
Matthaeus Rex Pannoniae. 160
Maximilianus Caeſar. 163
Nicolaus III. Ateſtinus. 165
Nicolaus Picininus. 168
Nicolaus Vitellius. 171
Paullus Sabellus. 174
Petrus Nauarrus. 176
Proſper Columna. 179
Robertus Rex Neap. 18
Robertus Sanſenerinus. 184
Rudolphus primus Imperator. 187
Sfortia Comes. 190
Sigiſmundus Malateſta. 192
Stephanus Columna, Praeneſtinorum Dominus. 195
Tamerlanes Scytharum Imp. 199
Tanaquillus Caſtellus. 20
Vguccio Fagiolanus. 204
Virginius Vrſinus. 207
Vitellocius Vitellius 210

ALEXANDER . VITELLIVS

ALEXANDER Vitellius, Paulli, Reip. Florentinae Imp. filius, Coloniam Othoniam, una cum Pyrrho Stipiciano, Clementis Pont. Max. partes ſecutus, cum diu acriterq. obſediſſet, tandem expugnat, circa an. CIƆ IƆ XXX. Fuerat Pyrrhus e Baleona Familia Columnae per clientelam inſertus. Is, ex uario militiae vſu, ea erat in opinione, vt breui ſupremũ eius diſciplinae gradum eſſet conſecuturus; auctus praeſertim ad Carinianum honore obſidionalis coronae. Vt uero ad Vitellium reuertamur, cuius plura geſta exſtiterunt, quam huius noſtrae orationis anguſtiis concludi poſſint, cum iterum vetus illa Etruriae colonia, quam expugnatam paullo ante diximus, tumultuaretur, ad eam una cum Vaſtio reuerſus eſt, licet conatus euincere non potuerit. Hinc in Piſtorienſem cum Marmaldo Hiſpano, cohortis praefecto, ac Piſanum agrum irrumpit, ut ibidem uires attereret Ferrucij, qui ſubſidia belli fouebat pro Rep. Florẽtina. Eo tempore ad Imp. inclinauit uictoria, licet deſideratus eſſet Princeps Oranges, Borbonem ſecutus, qui paullo ante ad Sacroſanctae Rom. Vrbis moenia meritas audaciae luerat poenas. At Vitellius nuſquam apertis Caſtris dimotus eſt, donec Alexandrum Medicem triumphantem Florentiã inuexit. Interea Solymanus claſſem ingentem in Pannoniam inſtruit. VI. Id. Maij ſollemne ſacrificium apud eas gentes indicitur. Id in auguſtiori eius ſuperſtitionis ſacrario per tripudia, nec ſine laſciuia, peragunt barbari: adhibent perlongum vexillum, horrendis, more ſuo, carminibus proſecuti, in quo impoſtoris illius Mahumetis effigies depicta, uariiſq. magni pretij gemmis exornata ad Solis fulgorem radiabat. Sacrificio peracto, qui inter alios maioris dignitatis habetur, ueluti rem ſacram, in regiã illatum conſpicuo loco ſtatuit. Iam profectionis dies aderat. Viſuntur Regij corporis praeſidiarij. Solymanus profectionem adornat: ſpectatur auguſtale tabernaculum: ceteraq. caſtrenſia impedimenta deuehuntur. Pone ſubſequebantur centum comatuli pueri, Ionica mollitie inſignes, quorũ odoribus illita coma, muliebri more a fronte diſcriminata, aureis uinculis intorta, in

humeros deſluebat. Haſtas hi geſtabant manibus, Damaſcena arte tornatiles. Longum eſſet omnia in ea barbarie deſcribere. Aduolat Alexander Carolo V. duce, quo maiorem noſtra ſaecula non viderunt. Imperatorio apparatu territus Tyrannus, cum ſe recepiſſet, Vitellius in Italiam reuertitur. Quo tempore defuncto Alexandro Medice, accitus eo, properat; ac populum auctoritate coercens, arcem tunc munitiſsimam aſtu occupat, omnemque operam nauat, ut Coſmus Medices, qui tunc uix XVII. annum agebat, eius Vrbis imperio potiretur. Deinde ſub Paullo III. ſtipendia meruit aduerſus Aſcanium Columnam, Algido deleto, expugnataq. Petelia. Rurſus prae omnibus ducibus unus Alexander in Germaniae ſubſidia deligitur; qui ubi tribus mill. millitum Vacciam venit, non longe Buda, ciuitatem in Pannonia plane dirutam, ac de inſidijs in ea latentibus eſſet ſuſpicio, loci ſolitudine horrenda, ac formidabili, ſolus Vitellius auſus tentare caueas, atque omnes eas latebras luſtrare. Ad Paeſtum, in Iſtri ripis, concione ad milites habita, eos ita accendit ad rem ſane arduam, ut inter indutias, quae ſtatim conſecutae ſunt, ad ipſum uiſendum, non ſine muneribus, ex barbaris, hoſtibuſque, incredibilis fieret ad eũ concurſus, non ſecus, ac ad Scipionẽ apud Linternum factum legimus. Non eſſet paucis Scipionis Maioris gloria, quae in hunc locum incidit, explicanda; niſi illud in ueterum numiſmatibus uerendum caput, corona praecinctum ciuica, maiorem quendam ſtylum poſtularet, ac noſtra in primis tenuis ad finem properaret oratio. Is, poſtquam patriam, & ad Ticinum, & in Cannenſi bello ſeruauerat, atque Hannibalem, infeſtiſsimũ Rom. nominis hoſtem, contriuerat, ad Linternum, patrio ſolo de relicto, ſeceſſerat, cum ſatis patriae, gloriaeq. ſuae uixiſſet. Hic, dum per eas Campani litoris oras diuagatur, procul ab ambitu honorum, ecce tibi, quod ingrata patria negarat, nobiles praedones ſupplices decus detulerunt. Venerati litus, quod attigerant, proiectis armis, unum precabantur, Scipionis os intueri, quem apud omnes gentes nominis ſui famam reliquiſſe paterentur. Prouoluti ad pedes exſulis, ſtupentes, ab eius intuitu diuelli nõ poterant. O magnam virtutis uim, quae, in tenebris abdita, luce ſua etiam barbarorum aciem praeſtringat. Vitellius magnis exterorum honoribus in Italiam redierat; iterum ab Italia, vna cum Io. Baptiſta Sabello, Octauio Farneſio duce, in Germaniam contra

trah aereticos contendit: in quo bello ab aduerſariis ipſis vterque laudem tulit. Inde, in Italiam, triumphis onuſtus, reuerſus, poſtquam Iulio III. in obſidione Mirandulae, & Gartiae in bello Senenſi operam ſuam locauit, decedit Tiferni, in paternis laribus, anno aetatis ſuae LIV. ipſum met, qui tunc uertebatur, Salutis annum conſecutus, a Chriſto nato CIↃ IↃ LIV. Ei exequias fecerunt, uſtis tributis honoribus, Tifernatum Collegium, ac propinqui perpetuae futurorum memoriae monumentum poſuerunt.

ALOYSIVS. GONZAGA

PRIMVS

ALOYSIVS Gonzaga, Guidi filius, primus in ea familia Mantuae praefuit. Ad hunc gradum nobiliſsimum, non niſi uirtute, ac laboribus, ſibi uiã ſtrauit. Fama eſt, inquit Clemens Alexandrinus, domicilium uirtutis in quibuſdam rupibus eſſe, ad quas difficilis admodum ſit aſcenſus, nec quibuſcumque hominum oculis conſpici, aut ſuperari, quaſi fortitudinis propugnaculum, niſi quis prius ſudore, ac labore induſtriã ſuam probarit. Ac Plutarchus confirmat in Craſſo, nihil magis proſperum euentum Romanorum auxiſſe, quam egregiam uirtutem, ac ſummam in laboribus, aſperiſq. in rebus tolerantiam, aduerſis caſibus ſuccumbere neſciam. Annus agebatur a Virgineo partu Milleſimus trecenteſimus uigeſimus octauus, quo tempore Philippinus, Aloyſij filius, armata manu Mantuam excurrens, Paſſarino Tyranno, qui, tumultu excitatus, in forum aduolarat, de medio ſublato, patriae libertatem reſtituit. Porro Elyſa, Paſſarini uxor, Ferrariae, quo ſeceſſerat, obiit: ut eſt in Ateſtinorum hiſtoriis. Acceſſit populi electio, ad Imperij adminiſtrationem iure ſuſcipiendam, a quo acclamatus Aloyſius tanto concurſu eſt, tantaq. laetitia, vt nullibi maior fuerit. Quam uenerationem, Familiae clariſsimae debitam, poſteri imitati, gratiſsimum, ac iucundiſsimum exiſtimant, tanto Principi ueterem obſeruantiã exhibere. Et vero Vincentius, in eorum Heroum longo ordine aetate noſtra Dux egregius, in ipſo iuuentutis flore ita eam ditionem regit, ut ſupra aetatem argumenta ediderit prudentiae plane ſingularis. Cuius laudes inter ceteros Capiluporum Familia nouo ingenti uolumine perſecuta carmine, altrix ut eſſe ſolet poetarum, noſtra minus indiget oratione. Fuit uero Aloyſius uir acerrimi iudicij, in miſeros praeterea pius, in omnes liberalis, atque in ſua a uicinis populis defendenda prouincia plane magni animi. Bonus Princeps, quaſi pater familias, erga ſubditos fuit. et uere: quis enim eſt Princeps, niſi Plurimorum pater? Excellit quidem ille; eiuſdem tamen eſt generis homo hominibus, li-

ber liberis imperans. Quod indicaſſe uidentur uetuſtiſsimi poetae, qui Iouem, cui totius mundi, vt illi loquuntur, tribuerunt imperium, Patrem hominumque, deumque appellarūt. Porro, quid exſecrabilius ea cōpellatione, quam apud Homerum Achilles, opinor, iacit in Principem, ſibi, nō populo, gerentem imperium, & populum deuorantem? Itaque, qui publicum commodum ſpectat, Rex; qui proprium, Tyrannus dicitur. Qui vero ſuam felicitatem patriae malis alunt, re Praedones ſunt, nomine dumtaxat Principes. Praeclare Antigonus, ad filiū, in gubernatione acriorem: An non, inquit, noſti, fili, noſtrum Regnum nobilem eſſe ſeruitutem? Ideo Plato uetuit legibus ſuis, ne quis Deum mali ullius cauſſam diceret, quia natura bonus eſt, ac beneficus. At Princeps Dei ſimulacrum quoddam eſt. Hic, ſi quae mala in Regno ſuboriantur, ſuccidet; &, ne alia ſuboriantur, procurabit. Verum uberius philoſophati ſumus, quā ſoleamus, ad mores pleraque, in hac breuiſsima Virorum in armis illuſtrium deſcriptione, traducentes, ut ſint in exemplum poſterorum res praeclare geſtae.

Aloyſius Gonzaga Familiam ſuam triplici nobiliſsimo matrimonio ſibi corroborandam, confirmandamq. putauit: quae ſingula ſumptuoſo apparatu, ac pompa maiori peracta ſunt, quam aut ab illis ſaeculis, aut a Principe exſpectari potuiſſet. Natus annum nonageſimum tertium, optatiſsimus adhuc ſuis, cum omnibus ex ore lacrymae diffluerent, integris ſenſibus, ſed collabente ceruice, ſupremum amoris oſculum ſingulis dedit, digniſsimus, cui tot affines, ac propinqui oculos clauderent. Annus fuit obitus poſt Chriſtum natum circiter Milleſimus trecenteſimus trigeſimus quintus.

ALOYSIVS

ALOYSIVS · GONZAGA · DVX DICTVS. TVRCVS

ALOYSIVS Gonzaga, poſt Io. Franciſcum, Marchionem Mantuae, adminiſtratione ſuſcepta, tanta animi moderatione, iuſtitia, humanitate, tamq. ſingulari diſciplina, tum domi, tum foris, eam exercuit, vt gratia, auctoritate, clientelis, ſuo nomine maiore quodam imperio dignus haberetur. Nam, ſine faſtu dignitatem retinens, ut in armis debitam ſeruabat ſeueritatem, ita inter ſuos, remiſſo ad lenitatẽ ingenio, incredibili quadam ui hominum mentes ad ſe trahebat. Itaque Vicecomitibus ita carus fuiſſe dicitur, ut a Philippo Filius, a Franciſco Sfortia Fratris loco, a Galeario Pater nuncuparetur. Nimirum magna uis ingenitae nobilitatis; ſed & non minima diſciplinae, quam ille, Victorino Feltrio praeceptore, in litteris non inerudito, hauſerat. Hoſtem habuit Nicolaum Piciniñũ, cum pro Philippo Inſubriae Duce arma cepiſſet, diuq. tractaſſet, patre etiam renuente. Deinde ad partes Venetorum ſe trãſtulit. Inde, iterum, cum Franciſcum Sfortiam, Mediolani Ducem, renuntiatum audiſſet, inita pace, ad eum uenit: quocum, decem & octo millibus peditum, ac tribus millibus equitum, praefectus, in Brixianum agrum populabundus irrupit. Nec minori gloria in Venetos conuerſus, Caroli Fr. exercitum fregit, magna parte equitatus attrita, & uariis proeliis pluribus detractis Reip. Venetae opidis. Haec cum geruntur, pax optatiſsima inter omnes Italiae Principes conſecuta eſt, anno a Pace diuinitus data mortalibus Milleſimo quadringenteſimo quinquageſimo quarto. Hic, eſt, qui ob ſingularem fortitudinẽ Turcus vocatus eſt. Eum tam acri iudicio, ac tanta integritate, iuſtitiaq. praeſtitiſſe narrant, ut unicum Inſubriae Arbitrũ appellarent. Porro Iuſtitia, in Principe, quaſi ſidus, elucet. Grauiter Marcellinus Ammianus libro ſuo vigeſimo nono pronuntiauit, Imperium curam eſſe ſalutis alienae. Sic enim debent illi apud ſe ſtatuere, non ſibi ſe natos, ſed ſui populi commodis. Chryſippus uero Iuſtitiae imaginẽ ita expreſſerat, ut puellari Virginis forma, adſpectu uehementi, luminibus oculorum acerrimis, ſpectanda uideretur. At uero

apud

apud Thebanos inter ſacras Virgines uiſcebantur olim, auctore Plutarcho, quae ſederent ſine manibus. ſic enim admonebant, magiſtratus, ac iudices animo ſedato eſſe oportere, nec ullis affectibus perturbato. Quod manibus carent, innuit, eos ab omni munerum corruptela, ac largitione, puros, & integros eſſe debere; ut ijs ab honeſto numquam abducantur. Certe C. Fabricij in eo genere nullo modo erit uirtus obſcura, qui, non gentis unius, vt Curius Dentatus Samnitum munera, ſed Regis aurum, Regnumq. opulentiſsimum, cuius in partem recipiebatur, ne quid iuſtitiae detractum uideretur, aſpernatus, dignus, cui, hoſtis non modo captiuos ciues gratis reſtituerit, ſed etiam eius ciuitatis optauerit amicus fieri, quae tantum ſortita eſſet ciuem. At Gonzaga, in maxima rei bellicae experientia, & ſuis, & exteris carus, cum Mantuae annos triginta tres quaſi pater imperaſſet, in uirili aetate deceſsit, ab humana Salute Milleſimo quadringenteſimo ſeptuageſimo octauo.

ALOYSIVS . GONZAGA
RHODOMONTIS . COGNOMENTO

ALOYSIVS Gonzaga, Rhodomontis cognomentum adeptus, quod robore omnibus antecelleret, in lucta plane neminem parem habuiſſe dicitur. Nam, C. Miloni ſimillimus, cum conſtitiſſet, nemo ueſtigio educebat; manum tenenti, nemo digitum corrigebat. Simili robore fuiſſe praeditum Tiberium Caeſarem, narrant hiſtorici, qui articulis ita firmis eſſet, ut recens, integrumq. malum terebraret; & pueri caput letaliter uulneraret, pollice ſolum, uel impudico digito inflicto. Erat porro apud Carolum Quinctum Imp. quidam ſtatura gigantea. Ad luctam uterque prodit: res ante Caeſarem acta eſt ſpectaculum ſane pulcherrimum; cum, quaſi alter Hercules, Gonzaga una cum Antaeo congreſſus uideretur; qui, terrae filius, cum terram attingeret, quod ab ea uim referret, fortior reſiliebat. Verum Aloyſij uirtus egregia in eo enituit, dum ille immanem gigantem in aera ſublatum ita compreſſit, ut pallentem, animamq. agentem, proſtrauerit. Hoc ſeſſore agitatos equos exſpiraſſe, ac ſaepe in fugae ſimulacro eundem uictorē plauſu exceptum fuiſſe, ferunt. Huius incredibilis animi, corporiſq. fortitudinis multa illuſtria reliquit argumenta. Verum ego, in militari diſciplina, non tam robur, quam bene poſitas uires, laudare ſoleo. Plurima ſunt, quae in ceteris animantibus longe magis admiramur; In Ceruis, uitae diuturnitatem; In Canibus, ſagacitatem, & uim odorandi; In Aquila, aciem oculorum. Quis uero Leonem ſuperaret aut robore, aut uirium firmitate? Ceteris conceſſit pelles, plumas, ſquamas, dentes, roſtra, ungues, cornua; homini uero corpus exiguum, & inerme Deus Opt. elargitus eſt; cui ſatis mens, qua his dominetur. Homo procreatus, ut Aegyptiorum, Chaldaeorumq. myſteria prodiderunt, rerum humanarum, diuinarumq. nexus, & quaſi Hymenaeus; ut intelligentia non humana modo ſpectaret, ſed diuina maxime intueretur. Itaque in Aloyſio Gonzaga cum alia multa digna omni memoria commendare ſoleo, tum maxime,

quod

quod, in miſeranda Romanae Vrbis direptione, ſub ſceleratiſſimo hominum Borbonio, comitibus Religionis noſtrae pluribus deſertoribus, unus inter omnes Italiae Principes, Clementem Septimum Pont. Max. S. Petri Succeſſorem, Chriſtiq. Vicarium, ueneratus, ad Vrbem Veterem praeſidijs ſaeptum perduxit, ut tutius in ea arce ageret. Id ego eo magis aeſtimo, quod Clemens ipſe ita Gonzagae pietatem probatam, perſpectamq. habuit, ut ſe, ac rerum omnium ſummam ipſius dumtaxat fidei crediderit. Ob quod inſigne beneficium Summos Pont. Aloyſium totius ſui exercitus Imperatorem creauit. Interim impius ille, ſane merito, in limine exſecrabilis uictoriae occubuit: glande traiectus, in ipſo pomerio, iacuit, non ueritus ad eos muros ſcalas applicare, quorum cuſtodes Sanctos eſſe, tam multa probarunt teſtimonia. In eum ego ſic aliquando carmine inuectus:

Moenia dum premeret ueteris Borbonis Vrbis,
Sulphureo exemplo fulmine caeſus obit.
Scilicet hoc ulta eſt crimen Roma ipſa, caditque,
Vindicet utq. homines, uindicet utq. Deos.

At Gonzaga ad Vicum Valerium, ſeu Villam Varronis, quam noſtri Vicouarum, in Latio, uenerat. Non procul hinc, in quodam piorum uirorum coenobio, dum feſſus proeliando ad menſam aſſidet, ictu bellici tormenti, fulmen belli, columen Italiae, dux Pontificij exercitus, robur Vrbis, ſplendor diſciplinae militaris, occidit. Par quidem exitus mortis: quae & Regum, & pauperum tabernas aequo pulſat pede; at, quam diſpar utriuſque gloria? Ille, e moenibus Vrbis deiectus, a furiis rapitur; Hic, e militiae incommodis, quae pro Dei Eccleſia ſuſceperat, inter piorũ manus, ad triumphantem Hieruſalem ſublatus, pie creditur. De eo igitur dulcior hic cantus erit:

Siccine te, fulmen belli, Gonzaga, peremptum,
Aureaq. diſiectum fulmen in aſtra tulit?
I, ſequere; ut ſerues Paſtorem, ac Romula tecta,
Occidis, & propera morte peremptus ouas.

Deceſſit Gonzaga, annum agens trigeſimum tertium: quae laus extrema prima omnium uideri debet, quod eã aetatẽ, quae illecebris dedita eſt, ad ea traduxit, ex quibus maximus ad Remp. fructus manauit. Diſerte Hippodomus ille Pythagoreus fundamentum Reip. in iuuentutis educatione conſtituit: non

 diſsimu-

diſſimulanter profeſſus, illam, ueluti euerſa totius aedificij baſi, ruituram, ſi negligatur: Hinc ille:

Dij, inquit, *probos mores docili iuuentae*
Romuleae gentis date.

Et uero tales euadere ſolent homines, qualis fuerit primae aetatis educatio. Itaque felicisſimus egreſſus ex hac uita ad illum feliciorem Gonzagae refertur in annum humanae ſalutis Milleſimum quingenteſimum vigeſimum octauum.

ALPHONSVS.REX

REVM geſtarum magnitudine clarorum Regum gloriā plurimi metiuntur; habet tamen etiā domeſtica diſciplina ſuam laudem. Ego uero nō ſtatuo, an in Alphonſo geſta bella maiora fuerint, an uirtutum, ſcientiarumq. ornamenta. Is, uultu pallenti, oculis coruſcantibus, ut acerrimi iudicij, acutiſſimis ſententijs uſus, primus Hiſpani generis ſtirpē Italiae inſeruit. Rex adeo liberalis, ut, Titi Imp. exemplo, diem ſe perdidiſſe diceret, ſi beneficium non dediſſet; ita pius, ut, aliquando, inter Miſſarum ſollemnia, ſuborto terremotu, ceteris abeuntibus, ſolus ante aram relictus, Sacerdotem ſacrum proſequi uoluerit; corda Regum in manu Dei eſſe, confirmans. Huc pertinet C.Fabij in ſuperſtitione ueteri diligentia; qui nobis in noſtra ſolida, ac uera, exemplo deberet eſſe. Is, ne diem ſacrificio ſtatam omitteret, in cliuum Quirinalem, e Capitolio, a Gallis obſeſſo, per medios hoſtes penetrauit, manu ſacra ferens. Ceterum uanus tanti Viri conatus. Longe laudabilior Gotofredus Boleonius, Lotharingiorum Dux, qui, praemiſſo Salutis noſtrae uexillo, priuata pecunia, triennium in barbara, remotiſſimaq. regione Syriae, ac Palaeſtinae poſuerat. Quo eodem ſtudio compulſi ſunt Conradus Imp. ac Lodouicus Sextus Gallorum Rex, qui, dum domi omni rerum copia abundarent, non dubitarunt, ut Catholicam religionem propagarent, Damaſcum uſque penetrare.

Vt igitur ad proelia ueniamus ab Alphonſo geſta, in quibus ut erat acerrimus, ſic a bello, quarumcumque iniuriarum oblitus, totum ſe lenitati dabat. Hunc, cum ab Hiſpania in Cyrnum ueniſſet, ubi urbem, Bonifacium nomine, oppugnabat, Ioāna, quae, Ladislao fratre extincto, ab Andegauenſibus uim factam ſuſtinere non poterat, rerum ſuarum defenſorem accerſit. Aduolat Alphonſus magno exercitu, ex Cyrni faucibus: adoptatur in filium: conſors fit Diadematis Regij. Verum, ut eſt muliebre ingenium uarium, ac mobilis ſemper Femina, Alfonſo repudiato, Renatum, Andegauenſium filium, paullo poſt in filium uocat. Interim Alphonſus ex exſilio maiorem gloriam refert. Tuneti Regem tributarium facit: tum, in Mauritaniam reuerſus, Africanam claſſem

depraedatur,& aduerſus Scythas, Georgio Caſtriota duce, & arma,& pecunias exponit. Quibus externis bellis hanc etiam lauream addidit,ut,Vrbe Neapoli per aquaeductum capta,con ſenſu eorum procerum,Rex eſſet acclamatus.Quod ſceptrum eo potiſſimum nomine uidetur fuiſſe conſecutus,quod is fuit clemen tiſſimus.ſic enim in ueteri quodam uolumine legi, in clemētiam Alphonſi Regis: quem hunc ipſum eſſe ut ſuſpicor, ita carminis plane ſuauis auctorem ignoro:

Nidulus inuolucres matri ſeruabat alumnos,
Ediderat fetu quos Philomela pari.
Principis hos poſtquam uidit clementia captos,
Reſtituit matri pignora cara ſuae.
Di tibi non aliter dent,clementiſsime Regum,
Ciuibus ut reddas dulcia tecta ſuis.

Hac rerum geſtarum gloria,uictis poſt Senenſibus,ac Florenti nis,ad Etruriae Principatum penetraſſet, niſi ſatis putaſſet id Re gnum Philoſopho. Solebat enim is ab armorum ſtrepitu ad ſua uiſſimum bonarum litterarum ſtudium,ueluti in portum pacatiſſi mum,ſeſe recipere. Horum plane Regum gloria illuſtris, qui in ter arma litteras tractarunt,eaſdēq. ſtudioſe fouerunt,perpetuis Scriptorū monumentis commendanda eſſet. P.Cornelius Scipio Polybium,ac Panaetium, non modo domi aluit; ſed etiam militiae ſocios iſte uoluit;cum quo merito Hannibal a Plutarcho cō paratus eſt. Alexander Magnus, rebus publicis intentus, Home ri lectione Regias curas leniens,cum Thebas ſolo aequandas ſta tuiſſet, Pindari familiae,eiuſq. penatibus pepercit. Veſpaſianus, ingeniorum,& artium praeclariſſimarum,liberali Caeſarū aemu latione, patrocinio ſuſcepto, primus e Fiſco Latinis, Graecisq. oratoribus bis mille & quingentos aureos in ſtipendia contulit. M.Antoninus Pius nobilibus diſciplinis ita deditus fuit, ut co gnomento Philoſophus diceretur, ac,poſtquam ad imperiū euectus eſt,profeſſores artium publice audire, & eorum diſputationibus intereſſe uoluerit; ac Rhetoribus,ac Philoſophis non ſolū ſtipendia,uerum etiam honores,ac prouincias decreuerit. Athenas profectus,omnium diſciplinarū magiſtros, habito delectu, inſtituit,annuis ſtipendiis ex publico aſſignatis. At Alphonſus, ſtudia grauiora ſectatus,eam adamauit ſapientiam, quam unam, ceteris rebus contemptis,exquiſierat adoleſcens Hebraeus, quā-

que

que Regio toro aſsiſtere uoluit. Haec enim eſt caſtiſſima illa ſimul,& pulcherrima Sunamitis, cuius unius complexibus unice delectabatur ſapientiſſimi filij ſapientiſsimus pater. Haec eſt, per quam Principes imperant,& potentes decernunt iuſtitiam. Is locos humanae, diuinaeq. ſcientiae ita tractabat, ut non e Martis caſtris exſtitiſſe,cum interim ita in bello ſe gereret, ut nõ niſi in armis uerſatus fuiſſe uideretur. Hinc illa inuſitata, & a paucis adamata patentis uoluminis inſignia; quibus ſe confirmabat meliorem conſultorem habere neminem. Hinc illa tam uaria doctrinarum lumina, quibus eius aula, ueluti caelum ſideribus,collucebat;quorum fama ut celebris eſt,ita non debuit praeteriri memoria Timothei Maſaei, Archiepiſcopi Rhacuſini, quem tanta caritate complexus eſt Rex, ut Archiepiſcopum Neapolitanum eſſe uoluerit: quem gradum honoris clariſſimum cum is recuſaſſet, iuſſus eſt a Paullo Secundo Pont. Max. Rhacuſam pari imperio proficiſci, ut finitimas prouincias, probata ſaepius in haereticorum peruicacia domanda uirtute, in fide,ac religione inſtrueret,ac retineret. Neque ſilebunt poſteri Giraldinum, Ameria,peruetuſta ciuitate Vmbriae, oriundum, qui in Regis aula inter uiros eruditos habitus eſt. Denique Alphonſus ab his terris, magna ſui nominis fama relicta,abſcedit, V.Kal.Quinct.annorũ ſexaginta ſex,a reparata ſalute Milleſimo quadringenteſimo quinquageſimo octauo.

ANDREAS

ANDREAS . AVRIA

ANDREAS Auria, maritimae diſciplinae peritiſſimus, una cum aliis Genuenſibus, ciuibus ſuis, ſub Federico Fregoſo, Archiepiſcopo Salernitano, pluribus triremibus inſtructis, aduerſus tunc temporis piratas, mare ingreſſus, ad Biſertam claſſem diripit, captiuosq. plurimos ex noſtris in libertatem reſtituit. Adiacet Biſerta piſcoſi ſtagni faucibus, per quas ſubiectum mare ſtatis ſuis aeſtibus irrumpit, & infuſum aquae dulci ſenſim emittitur, efficitq. portum uel amplis nauibus percommodum. Inde praeteruectus Vticam, & Carthaginis promontorium, eius turrem, atque munitionẽ, quam noſtri Golettam uocant, expugnat. Hinc, Gerba, ſeu Lotophagite adnauigata, in Africano litore, pluribus illatis damnis, uictor in patriam reuertitur. Rurſus, per mare Tyrrhenum piratas inſecutus, ad Parthenopem inſulam, ſimulata per dolum fuga, hoſtẽ circumuenit. Poſt a Rege Galliae maritimae claſſi praeficitur. Id enim ſignificat apud eas gentes dignitas Thalasſiarchi, uulgo Admiralij. Tum eques S. Michaelis creatur; atque, adiuncto Philippo Auria, & Rentio Ceri, nobili Duce, Neapolim uerſus adnauigans, Vaſtium, ac Columnenſes Principes captos, tum magno pretio redemptos liberans, ad Imperatorem ſe ſe conuertit. Facta inter ſummos proceres pace, impetrataq. ab Imp. claſſe, qua Ahenobarbum inſequeretur, ad inſulas Baleares expugnato promontorio, octingentos captiuos ex noſtris, qui miſere in catenis erant, uitae, ac ſuis reddit. Deinde Coronem expugnare conſtituit. Id eſt opidum in pelagus porrectum, quod magna ex parte maris fluctibus alluitur, atque a mari recedẽs, ſenſimq. ſeſe attollens, perpetuo ſaxo moenia impoſita ad trianguli formam efficit. Auria, terra, mariq. explorato loci ſitu, cohortantibusq. maxime Graecis, qui ad noſtros e ſuburbanis aedificijs cupidiſſime tranſierant, proiectis in litus ſub muro anchoris, pontibusq. conſtratis, quibus clypeatae cohortes procurrerent, expugnatur; Hiſpanorum ibidem praeſidio conſtituto, Graeciſq. in fidem receptis. Hinc ad oppugnandũ Patras iterum adita Zacyntho, cum claſſe deſcendit. Sine uulnere paene capta Vrbe, ſaluo feminarum pudore, in Aetoliam

uictos traijcere permittit, imbellis turbae miſericordia adductus pius Imperaror. Inter alas militum utrimque extenſa trium ferme millium capita pertranſierunt. Vbi cum nonnulli petulanrius feminas attrectare auſi eſſent, extẽplo alij ſuſpenſi, alij iugulati, impudicitiae poenas dederunt. Dicebat enim ſapientiſsimus Imperator, Chriſtianos ita uti debere uictoria, ut barbari humaniratem in noſtris agnoſcerent. In quo eo magis ad omnem modeſtiam mentes componere par eſt, quod id, leuiſſimum ſane, ita nocere ſolet & nobis, & alijs exemplo, ut iuuare poteſt maxime, cum a religione noſtra remoti homines apud nos nihil, niſi iuſtum, nihil, niſi purum, non ſine admiratione, intuentur. Permulra quidem geſſiſſe dicitur Alexander Magnus furioſe; uerum eorũ maculã abſterſiſſe uiſum eſt illud unũ, quod a Darij mulieribus captiuis non modo abſtinuit, ſed etiam eaſdem honeſte domum reduci iuſſit. Praeſtat autem maxime in Principe exemplum. Ne ab Alexandro diſcedam, & aliunde ducatur argumentum, Vel aquam porrectam ſibi in ſumma ſiti reſpuit, ne ceteros milites traheret in exẽplum. Dicam, ut res geſta eſt. Is loca deſerta Suſitanorum intrauerat, nocturno itinere exercitum ducens. Aquarum paenuria, prius deſperatione, quam deſiderio bibendi, ſitim accenderat. Per quadraginta ſpatia ne modicus quidem humor exſtabat, arenas uapore aeſtiui Solis accendente. quae ubi flagrare coeperant, non ſecus, quam continuanri incendio, cuncta torrebantur. Itaque primum animi, deinde corpora deficere coeperunt. Pigebat & conſiſtere, & progredi. Pauci, a peritis regionis admoniti, praeparant aquam. Haec paulliſper repreſſir ſitim. Deinde, creſcente aeſtu, rurſum deſiderium humoris accenſum eſt. Anxium Regem rãtis malis circumfuſi amici, ut meminiſſent ſui, orabant: animi ſui magnitudinem unicum remedium deficientis exercitus eſſe. ex ijs, qui praeceſſerant ad capiendum locum, caſtris duo occurrunr, utribus aquam geſtantes, ut filiis ſuis, quos in eodem agmine eſſe, & aegre pati ſitim non ignorabãt, ſubuenirent. Hi, cum in Regem incidiſſent; alter ex ijs, utre reſoluto, uas, quod ſimul ferebat, implet, porrigens Regi. ille accipit. Percunctatus, quibus aquam portarent, filijs ferre, cognoſcit. Tunc poculo pleno, ſicut oblatum eſt, reddito, Nec ſolus, inquit, bibere ſuſtineo, nec tam exiguum diuidere omnibus poſſum. Vos currite, & liberis ueſtris, quod propter illos attuliſtis, date.

Haec

Haec Regis continentia: Haec milites accendit ad magna. Cum uero is, de quo dicebamus, Auria ad Naupacti ſinus anguſtias deuectus eſſet, poſt multa geſta uocatur a Carolo in Bracatam Galliam, ſiue Narbonenſem. Inde Auria ad cohibendum Solymani furorem ſeſe in mare Ionium effudit, captis ad promontorium Caſsiopeum triremibus duodecim. Tum Imperatorem Niceam deuehit, ubi Summus Pont. ac Rex Galliae de rebus grauiſsimis conſilium iniere. Paullo poſt, fugae notam, Neocaſtri, & Africae ciuitatis expugnatione, diluit. Ac, poſtquam Cyrno glorioſe ad ſuos reuerſus eſt, perpetuus praedonum hoſtis, orae maritimae praeſidium, caeli, nubiumq. ſpectator unicus, pater patriae, pulſis Gallis, excuſſoq. longae ſeruitutis iugo, eius domi natu repudiato, aeternae erga patriam munificentiae trophaeũ tulit. Sancitur lex omnibus Decurionum ſuffragiis, ut Auriae ſtatua, Coloſſeae magnitudinis, candido marmore, decernatur, ea inſcriptione, ut Ciuis optimus, feliciſsimusq. uindex, atque auctor publicae libertatis uocaretur. Exceſſit, in ſummo & uitae, item & gloriae, cum attigiſſet annum nonageſimum tertium, a partu Virginis ſupra Milleſimum quingenteſimum & quinquageſimum nonum.

ANDRE-

ANDREASSVS · CASTELLVS SENIOR

ANDREASSVS Caſtellus, cognomento Senior, ex antiquiſſima Vmbriae, & omnium temporum nobiliſsima Caſtellorum familia, Interamnae Nahartium natus eſt, patre Ianotto, auo Andrea, cuius etiam nomen imitabatur. Eo tempore uigebat factio inter Guelfos & Gibellinos pernicioſiſsima: & Guelfarum partium Auus & Pater Duces erant, qui etiam ex proditionibus alterius factionis Duce Braccio interiere. Ad cauendum inſidias Andreaſſus plane puer, Amiternum ad Comitem Lallem Camponeſcum, filium Antoniuccij, Regni Siciliae Magni Seneſcalci, & aui ſui compatris, a ſuis amandatur. Ibi manſit uſque ad illud tempus proelij, quo Braccius fractus quoque perijt. De cuius exitu haec habentur. Is in acie quidem, dum boni Imperatoris omnia munia ſtrenue obijt, atque iam in hoſtium exercitum illata ſigna peruaſerant, a gregario milite in ipſo gutture uulneratur. Rumor de caeſo Imp. ut diſſipatur, ardore bellandi remiſſo, deſperataq. uictoria, funduntur numquam antea uicti Bracciani. Dux caedendo, ac reſiſtendo plurimis uulneribus confoſſus, rapitur ſemimortuus: ac uictor, ex infima plebe ignotus ante id tempus homo, Imperatori imperat. Subducto intra tabernacula Braccio, acciti undique medici, qui, magnis propoſitis praemijs, nihil intentatum reliquerunt. Illi, uiuere eum poſſe, praedicunt. Iam triduum ab accepto uulnere ſupererat. Andreaſſus, tum adoleſcens quindecim annorum, uel circiter, alacer accurrit ad ſpectaculum, non immemor iniuriae ſuis illatae, ac, ſtylo e Chirurgi manibus extorto, cerebrum exſpiranti, ac ſuſpiranti Braccio adhuc toruis, ac micantibus oculis intuenti transfodit, omnibus, qui aderant, in adoleſcente animum admirantibus. Quod mortis genus, ab aliis ſcriptoribus ſiue praetermiſſum, ſiue aliter narratum, Bernardinus Corius, Hiſtoriae, fidelis potius, quam ornatus ſcriptor, poſteris teſtatum reliquit. Idem poſtea, fuſo, & interempto Braccio, reuerſus, in patrio ſolo, factionis Gibellinae magnam fecit ſtragem. Inde, ad uberiorem mi-

litiae vſum adipiſcendum, uariorum & ſummorum magnatum ſeruitijs ſeſe addicit: ubi ſic enituit, ut breui tempore ad omnes illic, non tam maiorum ſuorum ſplendori, quam propriae uirtutis merito debitos honorum gradus adſcenderit. Malateſtae, Principes Piſaurenſes, Eccleſiae bona inuaſerant. Ea recuperatum Summus Pontifex Eugenius Quartus per Io. Patriarchã Vitelleſchum belli illius Imperatorem exercitum cogit: ſingulariter illuc euocato Andreaſſo. In qua expeditione receptis Piſauro & Senogalia, illius uirtus praecipue excelluit. Vrbe tum a Fortebraccio, & Columnenſibus grauiter uexata, inter praecipuos exercituũ ductores, amotum hoſtiles inſultus, magna iam uirtutis laude celebris, euocatur. Vrbs liberatur: Columnenſium dignitatis ſtatus imminuitur. Iacobus Vicus etiam, qui multa, beneficio Eccleſiae, bona poſsidebat, rebellis factus, capitur. Alia etiam Aemiliae loca, ab Guidantonio Manfredo, Domino Fauentiae, Nicolao Picinino, & Brandolino occupata, tum recepta ſunt. Proelio apud Fruſinonem facto cum Antonio Pontadera, qui itidem magnam partem Eccleſiaſtici ſtatus inuaſerat, illoq. captiuo ducto, atque ad oleae arborem ſuſpenſo, omnia Eccleſiae dominia amiſſa Pontifici reſtituuntur. Iſabella, Regina Neapolitana, Renati Angioini uxor, cum a Pontifice aduerſus Alphõſum Aragoniae Regem auxilium expeteret, Andreaſſus ab illa nominatim poſtulatur. Cuius praecipuo conſilio, & manu factum, ut Amiternum obſidione liberaretur, & hoſtes ex toto Aprutio eijcerentur. Non procul inde Princeps Tarentinos, qui exercitum Alfonſi ductabat, proelio uictus, in eius & Vitelleſchi poteſtatem redigitur. Illinc uis mouetur in Corradum Trincium Principem Fulginatem, Caſtello quidem potius ſanguine, quam amicitia iunctum: & is ad reſtituendum opidum adigitur. Et, quamuis ipſe Corradus ſignificaret, ſponte ipſi Andreaſſo id reſtituturum fuiſſe, tamen in arcem Surianã abductus illic mori cogitur. Implacabili etenim illius odio Caſtellus flagrabat; quod, ſanguinis iure, & neceſsitate neglectis, Braccianorum, Caſtellenſis familiae infenſiſſimorum hoſtium, partes ſecutus eſſet. Praeteruectus Antonius Rido Hadrianum Pontem, Vitelleſchum uultu compoſito ſalutauerat, pedes equitem comitabatur, molliter habenas tractans, ac de tormentorum reſtauratione uerba producens, cum dato ſigno cataracta demittitur,

titur,quae extremum pontis caput excludebat. Circumſiſtunt ſatellites. Ille,equo incitato,incuruoq. gladio,quo,militari more, cinctus erat, in Antonium irruens, falcato hoſtilis unco ſiſtitur. Huius ad latus Andreaſſus Caſtellus ſtricto gladio fruſtra conatus Vitelleſchum eripere:mano admotis calcaribus altera parte pontis, quae Romam ſpectat, catenam ſupergreſſus, ac paullo poſt in ipſa fuga comprehenſus ob honeſtae defenſionis titulum a Compatre arcis praefecto militari ueſte pretioſis gemmis intertexta donatus fuiſſe dicitur. Ab Italia, in Galliam deinde profectus, e ludicris illis concurſationibus, & belli ſimulacro, cuius erat in regionibus illis ſingularis gloria, tandem excluſus eſt, quaſi Graeco oſtraciſmo,ob celebrem,maximaq. laude ſaepius reportatam palmam:atque a Rege ſplendidioris ſpecie honoris, donatus aurea torque, Ordini Militari S. Michaelis addicitur. Inde, in patriam reuerſus,Interamnam, uetus Romanorum municipium,pontibus,theatris,thermis,ſtatuis,natali,ac cenotaphijs M.Cl.Taciti,ac M.Annij Floriani, clariſſimorum Imperatorum,nobile,diſciplina militari inter alios Andreaſſus illuſtrauit. Andreaſſus etiam ſub militiae Eccleſiaſticae ſummo Duce, Petro Aloyſio Borgia, Duce Spoletano,militiā ordinauit: cuius etiā militiae plurimis in bellis Locūtenens Generalis fuit;atque, ipſo iubente, Viterbianā arcem exſtrui curauit. Ad ſummā,in omnibus honorum bellicorum gradibus ſui ſaeculi, ut honoratiſſimus,& ſummus,ita & in ſucceſſibus rerum magnarum geſtarum laudatiſſimus feliciſſimusq. ſemper habitus eſt. Dicitur in tormētis manuarijs, quae Archibuſios, & Sclopetos etiam uocant, rotae aeneae,canis ita uocati,& ſilicis, apud Italos primus inuentor. Inuentum quidem bellū,& ingenioſum: an uero utile & probabile,non facile dixerim. Tandē Renatus Angioinus, Rex Neapolitanus,in recuperatione Regni,eius praecipua opera uſus eſt: in quo ſtatim ab illo Magnus Conteſtabilis creatur: ſed Regis iſtud quidquid erat uel ornamenti, uel ſubſidij, propter illius e Regno per uim Aragonēſium alterā expulſionem,infeliciter ceſſit. Extremo ſuae aetatis tempore, quamuis ſingulari praeſtantia corporis,acumine ingenij,experientia rei militaris, honore titulorum,multitudine triumphorum famoſiſſimus eſſet, non tamen ea illi merces erat,quā uetuſta generis nobilitas, atque propriae uirtutis merita requirebant. Hinc,quod tali in ſeruitio perditos

uideret ſuos labores,totumq. aetatis ſuae tempus,non ſine maximo facultatum ſuarum detrimento, uſus eſt per iocum in criſta inſignium ſuorum Candela accenſa, hac inſcriptione: *Alijs in ſeruiendo conſumor*. Deceſſit omnium cognatorum, amicorum, uicinarum urbium,tum militarum hominũ illius temporis, tamquam ſui patris,maximo cum dolore,& luctu. Sepelitur Interamnae,ad S.Franciſci,ſepulcro praealto,& magno,more maiorum, iuſtis magnificis, trophaeis ibidem erectis, Militibus, Prioribus, Vniuerſis Ciuitatis Magiſtratibus comitantibus. ſequentiq. inſcriptione ornata fuit eius memoria.

ANDREASSO . CASTELLO
S . ECCL . BARONI
REGNI . NEAPOLIS . MAGNO . CONTESTABILI
AC . S . MICHAELIS . MILITI . TORQVATO
QVI . FVIT . STATVRA . MAGNVS . FACIE . FORMOSVS
INGENIO . AC . VIRIBVS . SERTORII . PRAEDITVS
ET . IN . QVO . CONFLICTV . ADFVIT
EGREGIE . SEMPER . AC . FELICITER . DIMICAVIT
EX . AVCTORITATE . PVBLICA
CIVI . CLARISS . OPT . MERENTI
GRATA . PATRIA . POSVIT
VIXIT . ANNOS . LXXXI
OBIIT . A . D . M . CCCCLXXXVIIII
DIE . XVI . SEPTEMBRIS

Erat ſtatura ſeptem pedibus altior: adſpectu hoſtibus formidabili;eo tamen, ut non potuerit aeſtimari non grauis. Crines erant flaui;color corporis inter album & purpureum medius. Iudicium illi altum;animus uaſtus,& dominandi cupidiſſimus; erga milites magnificus. Vixit longiſſime,ſine ulla corporis,quae alicuius momenti eſſet, infirmitate; robuſtiſſimus etiam ad uitae exitum uſque:uigorem uultu ipſum praeſeferens, ut mediae aetatis uir ſemper putaretur.Celeberrimi ſemper fuit nominis, & equeſtris ordinis illius temporis nobiliſſimus.

AN-

ANGELVS . SANVITALIS

ANGELVS Sanuitalis, a teneris annis ad belli cam laudē natus, in ea ita ſe exercuit adoleſcēs, ut una cum Braccio partae Bononiae palmam tulerit anno a natali Domini Milleſimo quadringenteſimo uigeſimo. Deinde uero in Amiterni obſidione Milleſimo quadringōteſimo uigeſimo quarto, defuncto Braccio, eiuſdemq. quaſi quodam fulmine diſiecto exercitu, oppugnante potiſſimum Summo Pontifice, Angelus, qui inter paucos ſuperfuerat, ad Leonellum Ateſtinum ſe cōuertit. Hic, patriae amore ſuccenſus, nobilium adhibito conſilio, ſtatuit, a Picinino auxilia imploranda eſſe; a quo ille, ut Braccij ſororis filio, fuerat adamatus. Aduolat ad Tarum fluuium Picininus phalange ingēti equitum, peditumque; ac, ut tulit occaſio, iunctis una cum Parmēſibus copijs, cum Angelus mille & octingentis equitibus praeeſſet, ante quam uel de aduentu quidem ſuſpicaretur hoſtis, partim attritus, partim in fugam coniectus eſt. Icto deinde cum Venetis, una cum Franciſco Sfortia, foedore, Leonellus Ateſtinus Angelum, ac Parmenſes ipſos ad Sfortiam caſta traducit. Extare dicuntur communis conſenſionis in monumentis notata capita. Inter cetera Sfortia centum quinquaginta cataphractis Angeli nomine aes caſtrēſe perſoluit; patrio ſolo exſules reſtituit, atque opidorum eius familiae ſe patronum futurum profitetur. Quamquam, ut rerum humanarum fert uarietas, et cauſſae ſuboriri ſolent inexſpectatae, praeter ſpem, & opinionem, a Sfortia de militum praefinito numero detractum fuiſſe, Angelus aegre ferens, ab eo ſe ad Leonellum recepit, quem unicum conſiliorum ſuorum auctorem ſibi delegerat. Nec minus Frāciſcus, Iacobi Picinini frater, deſerto Sfortia, cum tribus millibus equitum Mediolanum contendit. His Sfortia commotus, depopulari coeperat omnia, quae in agro Placentino antea a Picininis tenebantur. Angelus uero Ferraria ad Fontanellatum familiae opidum uenit: inde Florentiolam praeſidijs firmat, defenditq. acriter pro Picininis ſpatio dierum quadraginta. Hinc ſaepe in campum egreſſus, cum hominibus eius loci, pluribus excurſionibus eam praeclaram addidit uictoriam, cum caſtrum Caſa-

dei,

dei, ut eſt in Chronicis Placentinis, igne cremauit. Verum diu ſuſtinere non potuit. Enimuero nihil obſeſſis fame pernicioſius, ob quam neque a filiis matres abſtinuerunt; ac propterea Romani dicerent, in obſidione Hieroſolymitana cum parẽtes non modo filij toſtis carnibus ueſcerentur, ſed alios ad opiparum cõuiuiũ inuitarẽt, ignorare ſe, an cũ hominibus, an cum feris pugnarent, cum his etiam crudeliores uiderentur, quae a filiorum paſtu abſtinerent. Arma, armis, & conſilio retunduntur; at inediam nulli aggeres, nullae foſſae, nulla propugnacula depellere poſſunt. Hac dominante franguntur uires, atque ita debilitantur, ut non modo ad reſiſtendum, ſed ne ad ſuſtinendum quidem ſatis eſſe uideantur. Res eo denique redacta eſt, ut ex neceſſitate decus aſtutia militari retulerit. Is enim, mira arte ſub noctem cum ſuis obſidione relicta, ſe Picinino adiunxit. Intererea rurſus tumultus Parmenſes excitabantur. Ad quos ſedandos miſſus a Picinino Angelus, in bello diuturno eius regionis, multa, eaq. praeclara geſſit. Hoc tẽpore Nicolai Pont. auctoritate pace facta inter oẽs Italiae Principes, Angelus Milleſimo quadringẽteſimo quinquaſimo quarto reparatae ſalutis meruit Reip. Venetae ſtipendia, dux quadringentorũ cataphractorũ equitum creatus. In quo munere talem ſe praeſtitit, qualẽ eius nobilitas, atque animi magnitudo pollicebantur. Cuius exemplo Octauius, in Geneuenſi bello hoſtibus erepto uexillo, in ipſo uirtutis conatu, humano ſpreto triumpho, aeternitatis palmam & meritus, & conſecutus eſt. Ad ſepulcrum ego tanti ducis hoc carmen addidi:

Octaui, Allobrogum in campis pietatis honore
Dum ingens, inſuetum gloria anhelat iter,
Occidis: at mille exſuuias in marmore fulgens
Vexillum ſuperat. cetera fama ſilet.

Deceſſit Angelus inter alios eius Familiae clariſſimos, a Chriſto nato Milleſimo quadringenteſimo ſexageſimo.

ANNEVS

ANNEVS MEMORANTIVS.

ANNEVS Memorantius, ab aliis Annas dictus, Franciſcum I. Galliae Regem ſecutus, in Italiam cum exercitu penetrat. Eſt Papia ad Ticini fluminis ripas, qui modico inde interuallo gemino cornu in eam Vrbem labitur, altero dumtaxat moenia irrigans. Hanc urbem Rex obſederat. Eodem die, quo is caſtra metatus eſt, cum iam multum proceſſiſſet diei, Memorantius cum delectiſſimo peditatu pontem, qui Ticinum iungit, magno impetu aggreſſus, multis caeſis, reliquos in fugam uertit. Poſtridie ſuburbana, quae trans flumen ad alterũ pontis caput pertinebant, tanta ui inuadit, ut Antonius Leua, uir alioqui magni animi, percuſſus fuiſſe feratur. Rex, non, niſi Papia expugnata, caſtra mouere ſtatuerat, ſperans fore, ut ea ſe fame dederet. Verum, ut uarius eſt belli exitus, media in acie dimicans, cum eum ardor impelleret, ab hoſtibus rapitur. Non longe aberat Memorantius, qui piae mortis contemptu a protegendo Rege diuelli numquam potuit, cum omnium ducum gloriam in eo bello ſuperaſſe dicatur, adeo imperatoriae, militarisq. diſciplinae munera omnia eo die numeris omnibus, ac partibus abſoluerat. In eum ſubito praecipiti quaſi torrente irruunt hoſtes. In his enim captiuis finis pugnae futurus credebatur. Hoc bello, ut exiſtimo, Fonteius, uir fortiſſimus cecidit, cum Memorantio certe, ubicumq. id acciderit, fuerat; quem extulit Bellaius, poeta Gallus, hoc carmine:

Dum patria uirtute furit Memorantius Heros,
Inuidus hunc Mauors uidit, & erubuit.
Ergo Deus iuuenem caeco petit improbus ictu,
Quem texit clypeo Dia Minerua ſuo.
Aſtabat tum forte comes Fonteius: in illum
Decidit irati uis inimica Dei.
Felix, cui tantae conceſſa eſt copia mortis,
Et licuit domini fata ſubire ſui.

Acceptae cladis nuntius Galliam perculit. Mittuntur Regij liberi obſides paternae libertatis. E carcere emiſſus Memorãtius, cum in Italiã Rex rediret, primum agmẽ ducebat una cum Henrico

rico Delphino:quo nomine Principem, Regniq. ſucceſſorẽ Galli appellant. Idem carus Regi mittitur numerandis duodecies cẽtenis mill. aureorum. Kal. Quinct. prima luce occaſionem nactus ad ripas Alduniae fluuij conſtitit in finibus Gallicae, Hiſpanicaeq. ditionis. Simul ac appenſum, numeratumq. eſt aurum purum, Regulos incitato nauigio, cuius uſus ad motum expeditior erat, auexit, & quaſi noua regionibus illis, ac renaſcentia ſidera reddidit: Gallia, in iocos effuſa, domeſtica, externaq. pace, laeta triſtibus, ut res humanae ſunt, miſcet, gaudijq. extrema nouus luctus occupat. Nam Lodouica Regis parens, magni conſilij femina, eo ipſo tempore e uiuis exceſſit. Interea Memorantius Carolum V. Imp. ſalutat, eidemq. non modo liberum, ſed etiam honorificum per Galliae fines aditum praeſtat. Peruaſerat Pariſios uſque non falſus rumor, Caeſarem paſſim expugnatis opidis uictorem appropinquare, tanta omnium perturbatione, ut Vrbs totius Europae ampliſſima, & copioſiſſima, in ſumma eſſet trepidatione. Iam incolae turmatim per Sequanam fuga ſibi, ſuiſq. conſulebãt. Nemo ex indigenis Gallis arma capere auſus, ut patrios lares ab aduectantis hoſtis iniuria diſcederent. Itaque, ſolum qui per gymnaſia liberalibus ſtudiis operam dabant, arma ſumpſerant, praebente ſe eis ducem Caracciolo, Sergiani, Melphitani Reguli, filio, qui unus erat ex Scholaſticis Pariſienſibus. Is, uti militari patre genitus, armata manu ſtudioſae iuuentutis, eaq. in cohortes digeſta, tametſi impar ſuſtinendis hoſtibus uideretur: hoc nouo, & inuſitato armatorum ſubſidio populus confirmatus, (tantum potuit unius Itali uirtus) fugam repreſſit. Ex quo patet, Franciſcum Regem, dum ſtudia litterarum fouet, non modo Galliam ornaſſe, ſed inuſitata arte defendiſſe. Poſtea pacis leges in tabulis deſcriptae, hinc atque inde, modo ad Caeſarem, modo ad Regem eo uſque delatae ſunt, donec, conſentiente utriuſque uoluntate, & Caeſar, & Franciſcus condicionibus ſubſcripſerũt, quae pari utrimque laetitia ſuſceptae ſunt. Ceterum Franciſcus, decumbens, cum uitae finem praeſentiret, poſtquam ſe Chriſtiano ritu religioſe a delictis expiauit, Henrico fil. pietatẽ in primis commendauit. Ante quam haec gererentur, factum fuerat quorundam uafro conſilio, ut a Franciſci gratia decideret Memorantius: quo tamen defuncto, ab Henrico Regiae beneuolentiae reſtitutus, cum multa praeclare geſſiſſet in obſidione Came-

raceñſi,

racenſi,ceteriſq. Belgicis obſidionibus,ſingulari rei militaris glo ria,ſpectante Galliae nobilitate, in ſuum morem mire exculta, Magiſter equitum eſt deſignatus. Id nimirum ſaepe conantur ma leuoli,ut,cuius ruinam quaerunt,eiuſdem decus extollant;ſubla tumq. in altum pertimeſcant. Hoc tempore uigebat in Gallia pietas, quaeſtionibus de pollutis ſacris decretis, contra impios quoſdam,qui nidulum ſibi indigni hominum congreſſu ſubſtru- xerant. His Geneua Allobrogum perfugium fuit, quae pridem Romani Pont.iugum excuſſerat, & Petro a Bauma uiro clariſs. cuius ad hunc uſque diem ſeruant peruetuſta inſignia, eius loci Epiſcopo,deturbato,qui ita ſe acrem Orthodoxae fidei defenſo- rem exhibuerat,in ea miſerāda ſacrarum euerſione,ut ſacro Car dinalium Collegio merito paullo poſt fuerit adnumeratus. Mi- rum narrant. Io. Andreas,eius loci primarius, ut aliquod deſpe- ctae religionis ſpecimen daret, Senatui auctor fuit, ut, quae ta- bula marmorea in ara maxima fuerat, ad carnificinam adhibe- retur. Sic ſane,quidquid eſt apud nos ſanctum, illis eſt exſecrabi le. Fuit conſilium conſultori peſsimum. Diuinae plane ultionis exemplum breui decretum factum in conſultoris caput recidit. Nam ſceleris conuictus primus ſacratiſsimum lapidem taetro ſanguine perfudit. At Memorantius is,de quo loquimur, cui Elogium iure adſcripſimus, omni memoria digniſ ſimus,egregio Regi ſuo nauata opera, in incre- dibili totius Galliae deſiderio,& lacrymis, ex hac mortalitate excedēs, ad aeter nam uitam ſibi uiam fecit, Anno a Deipara Virgine Milleſi mo quingenteſimo

ANTONIVS . LEVA

ANTONIVS Leua adhuc adoleſcens ex Cantabria, Hiſpaniae militum ferociſsima prouincia, in Italiam uenit, Milleſimo quingenteſimo ſecundo, quo tēpore equeſtri alae a patruo praefectus eſt. Interfuerat is Rauennatum bello ſub Cardone: idemq. ad Papiae defenſionem cum quattuor millibus peditum uenerat contra Gallos. In hac obſidione plane probata eſt, ſi umquam antea, uirtus Leuae. Coactus eſt cudere ex argenteis uaſis nummum, hac inſcriptione, CAESARIANI . PAPIAE . OBSESSI. M.D.XXIV Praeterea, cum Germani ſtipendio efflagitarent, minitarenturque, ciuitatem hoſti tradere, per litteras Daualum ea de re certiorem fecit, qui tunc temporis ad Laudem Pompeiam conſederat. Daualus, & Moronus, quibus eius uictoriae maior cura inerat, cum nec praeſentem haberent pecuniam, nec quidem, ſi haberent, poſſent eo tempore Papiam deportare, ſic uafre ſtatuerunt. Deligunt homines duos, fide, & induſtria ſingulari, qui cum equis uino onuſtis conferant ſe ſe in caſtra Regia, triaq. millia aureorum in cadis occluderent. Illi eam in partem flexerunt iter, qua propior erat ad urbem acceſſus; ibiq. tabernaculum figūt, tamquam uinum ex taberna uendituri. Interea litteris, ignotis characteribus notatis, Antonius Leua in Vrbe de tota re edocetur. Ille, unde ſignum datum fuerat, complures milites ad leue proelium emittit. Dum in Caſtris ad arma conclamatur, tabernaculaq. loco ſuo tolluntur, ſimulato hoſtium metu, alter ex iis, qui deferendae in Vrbem pecuniae prouinciam ſumpſerat, effracto cado, acceptaq. madente pecunia, inter tumultum elapſus, Papiā ingreditur, & ad Antonium Leuam adductus, ſignificat, allatam pecuniam, ſi non quantum Germani optaſſent, certe quantum ducum, qui foris erant, illis ſatisfaciendi ſtudium patiebatur. Hoc aſtu Germani, numquam amplius conqueſti, uictoriam obſeſſi reportarunt. Inuentum Hieronymo Morono tribuitur. Is enim erat callidi ingenij, etiam indagandis hominū conſilijs perſpicax. Hic Rex Gallorum, magno equitum cataphractorum numero ſtipatus, dum ſuos a fuga cōpellere enititur, equo grauiter icto, a Cae-

ſarianis capitur,ſtatimq. Lanoius, qui caſu eo aduenerat,corporis proceritatem,& armorum pulchritudinem admiratus, iam ſe, qui eſſet, palam ferentem in poteſtatem recipit. Eodem tempore Antonius Leua,cum Germano peditatu Papia egreſſus, Gallos a tergo caedebat, donec,fuga undique capta, nemo amplius e tanto exercitu reſiſtere auderet.Ceciderũt in ea pugna, partim ferro,partim fuga,Ticino ſubmerſi, ex Gallorum exercitu,ſupra octo hominum millia, eq. primoribus totius Galliae circiter uiginti, inter quos magnus ſcutifer Galliae, ac magiſter equitum numerati ſunt;ex Caeſarianis uix ſeptingentis deſideratis;quorũ e ducibus nemo,praeter quam Fernandus Caſtriota, in acie occiſus eſt. Tantum praedae,tum ex caſtrorum direptione, tum e captiuis congeſsiſſe feruntur Hiſpani,ut,praeter ſummam laudẽ, & gloriam partam, potentiſsimo Rege capto, eiuſdemq. deletis copiis,ac recuperato imperio Mediolanenſi,nulli umquam in Italiam milites ditiores effecti ſint.Cum uero ad Laudem Pompeiã Leua traduxiſſet exercitum,Franciſcus Sfortia, qui ob aduerſam ualetudinem bello intereſſe non poterat, Io. Paullum fratrem cũ duodecim peditum cohortibus reliquerat. Vix a Caeſarianis circumſeſſa fuerat ciuitas, cum Leua fetialem una cum tibicine ad poſcendam Vrbem,uti Caeſari debitam,mittit.Ad ea Sfortia reſpondit, ab ipſomet Antonio Leua,dum Papiam tueretur, didiciſſe ſe,quam decorum ſit,hoſtium minis non terreri.Cupidus Leua oſtentandae militum ſuorum uirtutis, poſt quaſſata machinis bellicis aliquandiu moenia,Hiſpanos,quorum uirtuti plurimum confidebat,ad murum, qua maiorem ruinam fecerat, praemittit. Hi,ſcutis ingentibus tecti,ſubſequẽtibus ſclopettariis, ſigna inferre intra Vrbem, propugnatores e muris deijcere, ſuiſq. aditum aperire,quam maxime nituntur. Contra, Inſubres, praeter plumbeas,ac ferreas pilas,quas tormentis emittebant,ſaxa,ac ſudes in Caeſarianos deijcere. Cum ſupra horã tertiam atrociter pugnatum eſſet,nox inaequali iactura proelium diremit.Poſt receſſum Ducis Brunſuicenſis,cum ſumma rerum ad Leuam redijſſet,relicta iam dudum Laudenſis Vrbis obſidione,Marignani caſtrametatur.Longum eſſet omnia perſequi. Is,uel ſola lectica inuectus,acies hoſtium ſaepe ſudit,unde, quaſi e ſpecula, nauclerus uigilantiſsimus,totius exercitus gubernacula dirigebat, cum uniuerſae Inſubriae praefectus eſt. Increbuerat interim rumor,

Turcam magnis uiribus Viennae moliri exitium, paucorumq; dierum itinere abeſſe. Carolus, Ratisbona ſoluens, per Danubiũ illapſus, in Germaniam uenit. Omnium remedium aeruminarum Germani in eo uno collocãr. Ex Italia uenit Antonius Leua, qui inter ueterani robora exercitus Vrbi praeficitur. At barbarus, uix conſpectis Chriſtiani nominis Vrbibus, animo concidit. Vigilabat enim ſuperni numinis aequitas, quae labantibus pijs praeſto eſſe ſolet. Ille, peſtilentia pluribus ex ſuis occiſis, equis permutatis, uelox ſeſe ab adſpectu Germaniae ſubduxit, nulla re amplius memorabili geſta. Expugnato denique Tuneto, Leua auctore Caeſar eundem in Prouinciam ad Galliam expugnandam adduxerat; cuius intolerandi totius corporis, omniumq. prope artuum dolores, ita animum Leuae fatigabant, ut uiribus eliſis ad communem huius noſtrae mortalitatis finem pertraherent. Ad aquas Sextias, in caſtris, annum natus quinquageſimum ſextum, CIↃ. IↃ. XXXVI. humanae ſalutis occidit. Inde in Italiam ad templum S. Dionyſij penes Mediolanum inſigni ſepulcro conditus, relicto alio, quod uiuens ſibi deſtinauerat apud Lutetiam Dionyſiano in templo, addito elogio, huius uitae exitus non ignarus. Cui ego id addidi:

Nobilis hexaphoro uehitur: non arma mouere,
Non caſtra, aut manibus proelia Leua poteſt.
Mente uiget ſola, pugnat ſine corpore: in hoſtem
Praecedit miles, ſubſequiturq. ducem.
Mirandum, ſi non Leuae reſonantia tela
In cinere exſtincto Gallia tota tremit.

ARANVS

ARANVS. CYBO

ARANVS Cybo,quem alij Aaronem, Franciſcus Maria Cybo uates inſignis Aruntem, ab ipſo ſacro fonte, quo infans Chriſtiano ritu ablutus eſt a patre Mauricio appellatum tradunt hiſtorici,prudentiſsimus idem fuit, ac fortiſsimus. Frontis honos, atque oculi indices animi in rebus agendis ſingularem integritatem praeſeferunt.Et uero naturae dona,atque inſignia peruetuſtae Familiae ſuperauit Aranus, effecitque,ut plus illi uirtus, quam maiores ſui ornamenti addidiſſe uideretur.Nos ſumma attingemus maturioris aetatis, eaq; duntaxat,quae apud exteras gentes facta accepimus. Nam domeſtica & ea iuuentutis robora partim gloriae inimica obliuio ſilentio inuoluit,partim ueterum annaliũ monumenta apud ſuos, hiſtoriae,ideſt uitae magiſtrae,ſtudioſos aſſeruari non dubito. Annus uerſabatur a Chriſto nato Milleſimus quadringẽteſimus quadrageſimus,cum a Repub.Genuenſi cum claſſe ad Neapolis ſubſidia mittitur,dum inter Renatum,& Alphonſum de Principatu dimicaretur. Nam Ioanna Regina Andegauenſium partium ducem,ipſumq. prouinciae Narbonenſis Regem, peracerbis latis offenſionibus,nouo adoptionis iure,ad Alphonſi contumeliã, in Regnum euocarat.Vbi Vrbem attigit Aranus, incredibili laetitia excipitur.In eo bello omnia,quae a ſummo duce munera poſtulantur,ea fortiſsime praeſtitit,uſque eo, ut Renatus, Neapoli potitus,eum Pro rege haberi uoluerit. In poteſtate ampliſsima conſtitutus nihil habuit antiquius,quam iuſtitiam retinere. Cum uero ſumma fide omnia adminiſtraſſet, retulit a Rege inſigne Pauonem, ſymbolo Gallicis litteris expreſſo, quod Latine ſonat, ſidera rebus omnibus praeſtare.Id,qui ex Familia ſecuti ſunt, retinuerunt ſemper.Inter quos,Ligurum decus, & litterarum patronus unicus, Albericus Cybo, auita Familiae decora augere, & ornare non deſiſtit: quem materna hereditate Marchionem Sacri Imperij Principem,Innocentij VIII. pronepotem, ad Pedes Vrbani VII. uix creatum item &.ereptum exſpectabamus: cui Pont. Max.a Deo Opt. Max. ad Eccleſiae ſuae gubernationem admirabili Patrum conſenſu electo, ut affinitate cõiunctus erat,

ita

ita ſe Reip. Chriſtianae defenſorem, propugnatoremq. paratum copioſe exponeret. Porro Fidelitatis ſymbolum, galeae Arani inciſum, merito digniſſimum fuit, ut ad perpetuam poſterorum memoriam retineretur. Fides enim eſt ſanctiſſimum humani pectoris bonum. Nulla haec neceſſitate ad fallendum cogitur, nullo corrumpitur praemio. Vre, inquit, caede, occide: non prodam; quia, quo magis ſecreta quaeret dolor, haec illa altius condet. Haec fundamentum iuſtitiae, haec dictorum, conuentorumq. conſtantia, ac ueritas, qua nihil uehementius Remp. continet, cum, ſublata fide, nihil ſtabile reſtet, nihil firmum, aut diuturnũ. Hãc amplexus Aranus unam maxime eſt. Cum enim triduanae induciae indictae eſſent, ac Neapolitani milites ad excidenda ligna uallis fuiſſent egreſſi, non nullos ex hoſtibus Viros nobiles captiuos in Vrbem traxerunt. Id ut accepit Aranus, exclamauit, ius uiolari, fidem etiam hoſti ſeruandam eſſe, reſtituendos captiuos: inique agi. Verum, cum nullum Rex nec precibus, nec monitionibus locum reliquiſſet, Aranus, collectis ſuis, armatus in Regiam uenit: ubi, ſe de reditu ad ſuos deliberaſſe, ait, deſerturumq. omnia, niſi libertati reſtituerentur hoſtes, qui ſub fide publica abducti fuerant. Itaque Rex, non ignarus, quantum ſibi opus eſſet opera Ariani, eo laudato, captiuos amandauit. Belli exitus is fuit, ut Alphonſus, Vrbe Neapoli per aquaeductum capta, Renatum amiſſis copiis, in arcem compulſum, regno deijceret, ac Ioanna defuncta glorioſum triumphum duxerit. In ea pugna, cum Regis partes acrius tueretur, Aranus, uulneratus ab Alphonſo, capitur, curatusq. diligentia plane Regia ad ſuos liber dimiſſus eſt. Hoc tempore Reſp. Genuenſis, ut foedus cum Alphonſo iniret, Aranum miſit: quod ille non ſine magna difficultate, ut hoc genus negotiorum ferre ſolet, impetrauit. Ita uero ſe prudenter geſſit, ut, licet aduerſas partes, ut belli natura ferebat, ſecutus eſſet, a magno Alphonſo, quem ſaepe armis laeſerat, ſaepe in uitae diſcrimen adduxerat, honorifice, ac ſplendide in aula exciperetur ijſdem honoribus, quibus a Renato ornatus fuerat; maiori etiam quadam beneuolentia, qui in eius fide tantum poſuerit, ut ſe, ſuaq. illi omni genere liberalitatis crediderit. Paullo poſt Caliſti Tertij Sum. Pont. creatione ſecuta, licet aetate grauis, tanti animi fuit, ut Deo omnipotenti uouerit, bellum ſe aduerſus Orientis Tyrannum ſuſcepturum. Vt autem, quod promi-

ſerat,

ſerat, re ipſa praeſtare poſſet, per uniuerſam Europam conciona tores transmiſit, qui Chriſtianos homines animarent, &, quidquid facultatum, & opum haberent, ad tantam expeditionem conferrent. Alphonſus Rex, & Burgundiae Dux, Crucis ſigno ſuſcepto, ſe quoque in hoſtem ituros, profitebantur. Haec dum foris parantur, ad urbanos tumultus ſedandos, retinēdosq. Romanos ciues in officio accerſitur a Caliſto Aranus. Quem hominem facile quidem petenti Pontifici conceſſit Alphonſus; aegre tamen uel ab eo diuelli, uel ipſo abſente Regnum ſuum regi poſſe arbitrabatur. Creatur difficillimis temporibus Senator Vrbis a Pont. Max. quae dignitas illis ſaeculis maioris fuit honoris, & oneris, quam quis exiſtimet. Argumentum eſſe poteſt eius integritatis Innocentij VIII. filij, cui nomen fuit Ioannes Baptiſta, poſt annum circiter trigeſimum ſecuta creatio, ut, quam in patre Roma experta erat fidem, in filio non dubitaret. Simile ſcribunt hiſtorici de Honorio IV. Sabello Romano Pont. cuius pater Pandulphus Senator Vrbis tantae ſeueritatis, ac iuſtitiae fuiſſe dicitur, ut, quoties Romani ciues Vrbem purgare ſicarijs ſtatuiſſent, non alium Senatorem, quam Pandulphum, expoſcerēt. Exortis Neapoli nouis tumultibus, a Rege reuocatur ijſdem honorum gradibus; quaſi eo abſente Regnum ſuum ſtare non poſſet. Paullo poſt (uix enim ad Regem peruenerat) Capuae, morbo correptus, decedit, natus annum ſexageſimum nonum, Milleſimo quadringenteſimo quinquageſimo ſeptimo. Nos tumulum hunc Capuae effinximus:

Hic, ubi Vulturnus placidis interfluit undis,
Vrbsq. potens armis tollit in aſtra caput,
Lumina in obſcuram noctem ſine uulnere Aranus
Claudit, qui belli, & pacis amator erat.
Illuſtris titulus, decorat quem Dardanus auctor,
In patriam, ut pietas ſeruet, & una fides.

ARIA-

ARIADENVS · AHENOBARBVS

ARIADENVS Ahenobarbus,a colore cognominatus,Mitylenis,in mari Aegeo,inſula,oriundus,maritima claſſe inſignis, Horuccio Fr. qui, in terreſtri acie peritus, ad cubitum ferrea manu alligata, cum Numidis perpetuis bellis ſe exercuerat, in Cirthae Iuliae Coloniae regno ſucceſſit. Naualem pugnam ſecutus, huc atque illuc oberrans, collatis praedonū audaciſſimis,inſignis archipirata, inſulas omnes Hiſpaniae,atque Italiae Mediterranei maris ad unum uexabat,Calabriam ingreſſus, Thebas Lucanas expugnat, noſtrorū nauibus ſeptem igne abſumptis.Inde Procytham inſulam, ac ea prope omnia litora ad Anxuris uſque partes populabundus adnauigat.Hac arte piratica nomen ſibi facit apud Solymanum, a quo claſſi praefectus,Muleaſſem, Tuneti Regē,ſocietate ſimulata,ſedibus ſuis depellit: quamquam non diu eo Regno potitus eſt. Muleaſſes,abſcondito Tuneti auro,ex ulteriore Numidia, exiguo ſuorum comitatu,ad Caeſaris caſtra confugit. Sedebat in ſella Regia Caeſar in medio Praetorio:admittitur Muleaſſes; ſuo cultu mitratus,cui lintea faſcia a mento demiſſa guttur praecingebat;& tibias talaris adornabat ueſtis,e ſerico uiridi,& cyaneo diſcolor.Erat is procera ſtatura, ſubfuſco uultu, planeq. uirili; ſed oculorum acie ita immani,ut ſemper ſpectantes atrocius contueri uideretur. Quod uero mirandum fuit, ut in armis egregie exercitatus in aciem prodibat primus, ita per otium cum Philoſophis de natura uniuerſi, de motu caeli, influxuq. ſiderum, erudite, ex Auerrois diſciplina, diſputare ſolitus erat. Poſtquam exoſculatus eſt Caeſaris dexteram, tapete ſubſtrato humi,collectis cruribus,more patrio, ſedens, per interpretē perorauit.Huic Caeſar copioſe omnia pollicitus, Regia plane hoſpitalis munificentiae munera exhibuit. Apparatur paullo poſt claſſis: expediuntur auxilia expulſo Regi. In conflictu tantam fuiſſe narrant glandium procellam, ut ante congreſſum trecenti amplius ex barbaris occiderint. Ariadenus,ira dentibus infrendens,multisq. ſimul diſtractus curis, ſe ipſo factus atrocior, ſeruos Chriſtiani nominis, circumpoſito,atque incēſo ſummotorio

puluere,

pulnere,ad unum omnes in ergaſtulis cõcremaſſet, niſi Iudaeus Sinas ab execrabili conſilio auertiſſet. Fugientem ad Hipponam Vrbem, S. Auguſtini nomine celebrem, ſequuntur ducem ſuum Turcarum agmina. Interea Solymanus, de Italia perturbanda cogitans, maritimae claſſi hominem praefecit, quo auctore maxima damna infert Iapygiae, ac Sallentinis. In Iapygia eius gentis nomine tria ſunt promontoria; hic Calypſo, ab Homero dicta Ogygia, hic Lacinium promontorium Iunonis, hic patria Milonis Crotoniatis caelo ſaluberrima, ut ſcribit Plin. lib. ſecundo hiſt. ſuae, cap. 98. Et mihi retulit Audoenus Lodouicus Britannus, qui uir nobiliſsimus, idemq. religioſiſſimus, non deſiſtit eam fidei ſuae regionem creditam in fide inſtruere, exemplo promouere, ac ſalutaribus uerae doctrinae praeceptis, quod eſt Epiſcopi munus inſigne, ad pietatem accendere. Is mihi retulit, fama loci haberi, Tribifacij, Pomponij Laeti ſolo patrio, in ea Ahenobarbi ferocia ipſarum mulierum praecipue robur enituiſſe, quae non minorem laudem, quam uiri, in patriae defenſione retuliſſent, eius facti inſigni ad poſteros commendata memoria. Fugatus igitur Ahenobarbus, Iſthmum Corinthiacum, ac Neocaſtrum in Dalmatia expugnat; quo loco plurimi ex noſtris forti animo glorioſi occiderunt. Prope Nicopolim, ac Corcyram, licet inferiori claſſe, ſuperior celebratus eſt; Aſcriuio uero, ſiue Chizinio, Bembi opera pulſus, in Galliam nauigat, cum Polino, Praefecto Regio, ad Nicaeae obſidionem. Tum, ad Iluam reuerſus, ac Tyrrhenum mare excurrens, Telamone portu in Etruria occupato, ueteres iniurias ulciſcitur impius. Hinc Liparim, ac Puteolos diripit; cuius loci nobiliſſima monumenta praeter nauigãs, ſine laude praeterire non poſſum:

Hic uires natura ſuas expreſsit, & auxit
Ars opus; eximius certat utrimque labor.
Illa homines miſerata cauis e rupibus undam
Elicit, optatam qua trahat aeger opem.
Ars ueterum monumenta uirum, ſtagna, antra, lacusq.
Oſtentat, uillas, templa, theatra, fora.
Ambarum claro tollit ſe gloria caelo.
Quid magis obſtupeat, neſcius hoſpes, abit;

Gloria ſed maior ſurgit tibi, candida Syren,
Quae gremio ſeruas commoda tanta tuo.

Sed ualeat tandem Ahenobarbus, atque hinc abeat, qui, multis Italiae mari proximis regionibus direptis, triumphantis more Byzantium ingreſſus, non multo poſt poenas tulit. Is, ad patrum ſuorum apud Inferorum ſedes raptus, in aeternos cruciatus deceſſit, anno poſt Chriſtum natum, cuius barbarus impie alumnos fuerat inſecutus, circiter Milleſimo quingenteſimo quadrageſimo quincto.

BAIA-

BAIAZETES. I

TVRCARVM. TYRANNVS

BAIAZETES, Hildrin eorum lingua, Caeli fulgur, cognominatus, Solymano interempto, ne in Imperio aemulum haberet, Amurathis patris mortem ulturus, ad eum ipſum locum, ubi pater fuerat interfectus, Marco Bulgariae Principe, cum Seruianorum nobilitate, in pugna trucidato, praeſidijs omnibus potitus eſt: inde, per Pannoniam, Epyrum, Myſiam, crudeliſſimis factis excurſionibus, Chriſtianos complures in Thraciam captiuos abduxit. Poſtea, ſubacta Graecia, Conſtantinopolim obſidione cingit. Quo tempore Reip. Chriſtianae ex Oriente Imperator in Galliam confugere coactus a Carolo VII. impetrauit Ioannem Comitem Niuernienſem, Burgundiae Ducis filium, quem nonnulli nobiles, ac leuis armaturae equites ſecuti ſunt. Res minus feliciter noſtris ceſſerunt; tamen maxima ſtrages palantium Turcarum, qui exploratum uenerant, facta eſt. Geritur id proelium Milleſimo trecenteſimo nonageſimoquincto. Ex Gallis trecenti tantum equites, ob diuitem ueſtium ornatum, auara crudelitas ad pretium redemptionis reſeruauerat. Verum Baiazetes inter tot ſeruatos Niuernenſi Comiti Regia ſtirpe, qui paene nudus comparuerat, & aliis quinque, quos ipſe elegiſſet, ceteris omnibus taetrico, ac turbato uultu ad unum necatis, dumtaxat pepercit. Inter hos Buccicaldum, Galliae Mareſcalcum, Mag. caſtrorum, ut uocant, ſtaturae giganteae, uix lacrymis impetrauit. Omnes ducentorum millium aureorum pretio redempti ſunt, quos Iacobus Mitylenaeus Princeps ſoluit. In exercitu Baiazetis pluſquam trecenta hominum millia fuiſſe dicuntur, cuius alae curuatura ad Lunae ſpeciem facta ſeptem & ei amplius milliarium ſpatium occuparet. Hac potitus uictoria Tyrannus, ad Conſtantinopolitanam obſidionem reuerſus, ueteres Graecorum delicias populabundus plane deleuit. Cuius criminis impius dignas poenas lationi non multo poſt luit. Interea Euphratem tranſgreſſus Tamerlanes, ut ſemper nouas ſibi ſubiectas na-

tiones intueretur, utq. Emanuelem obſidione liberaret, Armeniam inuiſerat, ut eius ſaeuitia territi indigenae Imperatorem ante ſalutarent, quam caſtra poſuiſſet. Illuc quoque aduolauit Baiazetes. Conſtitit ad radices Stellae montis, cui ab Antitauro ei obuerſo ſpatioſiſſima quaedam planities ſubiacet. Hic olim a Cn. Pompeio Mithridatem, magnum Ponti Regem, nocturno illo proelio profligatum tradunt. Hic de uita, & Aſiae dominatu decertandum erat. Baiazetes hoc conſilij ceperat, ut Celebinum, & Muſtapham a pugna ſummoueret, ut, ſe perdito, ſupereſſet proles. Hi duo igitur praepotentes, & longe omnium generoſiſſimi Reges, ſuos ſtrenue cohortati milites, ad pugnam parati erant; ac, quaſi de ſumma rerum dimicaturi, claſſicum exorſi, utrimque ſe incitarunt pari animorum alacritate. Diu decertatum eſt, incerto belli exitu, ſicut anceps bellorum euentus pendere uidetur. Sed, qui iam diu infinitis prope uſus fuerat proeliis ſecundis, uictor exſiſtit Tamerlanes. Hic conſpicatus aduerſas copias, uexillis ſtratis partim caede, patim certando feſſas, fractasque, minoremq. exercitus ſui partem adhuc integris uiribus conſtare, ſagittas expediri mandat. Contra Baiazetes, Scythicae diſciplinae non ignarus, hinc peditum, inde equitum alis in cuneum inſtructis, in poſtrema parte triariis collocatis, ad ſagittarum grandinem repellendam, inflexis peltis, iubet, capita praemuniri. Sed telorum effuſus imber tantam ſtragem edidit, ut tota fere immenſa illa planities ſanguine redundarit, Euphratesq. maiore ſanguinis quam aquarum ui ad mare Rubrum defluxerit. Scythae pauci ſupererant, fuga ſibi conſulere ſaucij, in colles Armeniae ſe ſe receperant. Demum, inclinante Sole in occaſum, captus eſt Baiazetes. Cuius rei nuntio allato ad Regiam, non ſolum Aſia, ſed etiam ij, quos numquam Tamerlanes aut bello laceſſiuerat, aut uiderat, ut Moſcouitis, quos a Tartaris Rha fluuius perpetuo aquarum curſu dirimit, terrorem incuſſerit. Bis centena Tartarorum millia eo in proelio a Turcis caeſa referuntur, Turcarum uero ſupra centum & quadraginta millia cecidere. Baiazetem captum, ut ad ipſum reuertar, Tamerlanes catenis aureis religatum in caueam per totam Aſiam, Syriamq. circumduxit; quem prius exſultantem Graecia uix continere potuerat. Non enim ſaturatus animus eius uidebatur Turcarum clade, niſi ab ipſo Baiaze-

te poenas repeteret. Huius procumbentis tergo, equum conſcendens uſus eſt. Prandenti uero tripodi alligatus inſtar canis oſſa legebat. Reliquum uero tempus ferrea in cauea, beſtiarum more, concluſus, admirandum rerum humanarum ſpectaculum edidit. Itaque Baiazetes, maerore confectus, mortem ſibimet imprecabatur, ceruice pluribus ictibus ferreae caueae clathris contuſa, illiſoq. cerebro, quod regnum auitum opilioni relinqueret. Denique illi mors ex his ad maiores miſerias aditum fecit. quod ſub Bonifacij Noni Pont. Max. tempora referunt, circa annum a Chriſtiana ſalute Milleſimo trecenteſimo nonageſimo ſeptimo.

BARTHOLOMAEVS
BERGOMAS

BARTHOLOMAEVS Bergomas, Paullo patre, propinquorum inſidiis interempto, miſer, ac profugus, Sfortiana, ac Bracciana caſtra ſecutus eſt. Is, poſtquam Philippo Vicecomiti adhaeſit pluribus in proeliis, illi operam ſuam nauauit ſingulari fidei integritate; a quo neſcio qua ſuſpicione leuiſſima in carcerem coniectus eſt. Defuncto Philippo, cum ſe Mediolanenſes in libertatem aſſeruiſſent, Gallorum Dux Alexandrinum agrum hoſtiliter uaſtabat. E uinculis dimittitur Bartholomaeus, ad libertatem, atque imperium. Ille in aciem inimicorum ſubito irrupit, ac, depraedatis tentoriis, Rainaldum, ducem exercitus, ea in uincula conijcit, in quibus ipſe paullo ante fuerat. Tantum poteſt unius hominis deliberatio in rebus quantumuis deſperaris. Sic circa Naupactum uictores Peloponnenſes, Athenienſium claſſis declinata in altum ſoluens fuga cum hoſtes in maxima ſecuritate nauigantes conſpiceret, in ſtationem ita depuliſſe ferunt, ut ex hoſtibus quamplures occiſi, non nulli capti, & ad triumphum reſeruati ſint. Ac Fabius alio in proelio ſeruos, qui in exercitu erant, in libertatem aſſerens, exitu belli commutato, Mithridatem, multis ſuorum amiſſis, grauiter ſaucius, e caſtris ſe ſubducere coegit. Poſtea Bergomas tranſtulit ſe ad Venetos. Ollium tranat, ut hoſtem ex Bergomati ſolo educat; & in agro Nouarienſi ipſius exercitus ducem captiuum una cum quadringentis equitibus ducit. Cum uero Mediolanum obſediſſet, numquam efficere potuit, cum tamen artificio militari polleret, ut hoſtem in conflictum euocaret. Tandem cum Sfortia pacem init Milleſimo quadringenteſimo quinquageſimo quarto. Is omnium primus dicitur per Galliam Togatam Florentinorum exſulum bello flagrante in acie traxiſſe tormenta, quae ad tubae ſonitum ſe ſe contrahentibus alis aduerſus hoſtes dirigebantur. Iniquum ſane inuentum, portentum immane, exſecrabile monſtrum, malorum omnium officina. Huius inſuetae machi-

nationis metu ruunt praeſidia, ac firmiſſima propugnacula globorum impetu euertuntur, tremunt omnia, & ui occulte obluctante, immiſſis tormentarij pulueris fomentis, flamma effractis ſpiramentis, non moenia modo, ſed Vrbes etiam exſcinduntur. Non ſatis erant terraemotus, ac fulmina, quorum naturam haec imitata ad perniciem noſtram traximus. Quam uero breuis, quam fugax, quam fragilis eſt hominum uita, quot eadem malis obnoxia ſit, plerique experimur. Haec quoque ad calamitatum cumulum accerſenda erant. His potitis, nullus plane relinquitur fortitudini locus. Quamobrem praeclare Hercules Ateſtinus, Ferrariae Princeps, ſub quo ille militabat cum ſpingardae pila, qua tricubitalis longitudinis glandem effundebat, calcaneum detorſiſſet; Bergomatem acriter incuſauit, qui uiros fortes, gladio dimicantes, inuſitata, atque horribili pilarum procella ſterneret. Quamquam iam uſu didicimus, neceſſe eſſe, artem arte ludere, ne imparatos nos hoſtis praeoccupet, eorum uſum retinere, dum inuentum minus probamus. Quamquam, ad Vrbium defenſionem tormenta ante recepta fuiſſe, alibi oſtendimus. At Bergomas primus in aciē, campumq. deduxit. Nec uero hoc ſolum artificium, ſed etiam ſtratagemata militaria adhibuit; ideo Galeatius Sfortia uulpem cauea incluſam obtulit. Cum uero uiginti amplius annos Venetorum copiis imperio praefuiſſet, cum uixiſſet ipſe ſeptuaginta ſex, Senatum Venetum ex quadrante heredem inſtituit, a Virginis partu Milleſimo quadringenteſimo ſeptuageſimo quinto. Reliquit Bartholomaeus filias honeſtas, eaſdemq. nubiles quattuor, ex quibus, quae familiae Martinengae deſponſata eſt, Bartholomaeum genuit, ab eius ducis nomine, qui parens deinde exſtitit illius Proſperi Martinengi, quo gloriatur Benedictinus ordo. hic adeo in Graecis excellit, ut maiorem nec praeſens, nec poſterior aetas uiſura ſit. Is, licet Italus, multa monumenta Graece de rebus ſacris reliquit, unicus Pindaricae Lyrae aemulus, & magiſter. In quem ego hoc carmen ſcripſeram, quo tempore ſub Nouembrem Vrbs aquis obruta eſt. Ille uero in Quirinali in ſuorum coenobio quieſcebat.

Nos

Nos premit exundans Tiberinus uallibus imis,
Et replet effuſo limina noſtra lacu.
His te naufragijs, Proſper, domus alta Quirini
Eripit, aeterna nobilitata manu.
Sic tibi conceſſum Pindi requieſcere in umbra,
Et ſacrum Aonio uertice ferre pedem.
Inde ſonas, plectro quae nec dat Pindarus aureo,
Maeonius docto nec pater ore canit.

BARTHOLOMAEVS LIVIANVS

BARTHOLOMAEVS Liuianus, domo Aluiano, Etruriae opido, ob egregiam militaris diſciplinae laudem ad Atellam Apuliae uictis Gallis una cum Virginio Vrſino, a quo in familiam fuerat adoptatus, e liberiori cuſtodia, cum ille miſere in artiori ergaſtulo teneretur, in libertatem ſe ſe aſſeruit. Ab eo tempore compluribus in proeliis uerſatus, illuſtrem Imperatoriae dignitatis laudem eſt conſecutus. Magno Conſaluo ſe ſe adiunxit una cum aliis Vrſinis: cuius arte, atque induſtria uſus, cum primum pugnae praeludium edidiſſet, Gallos ad Lirim contriuit. Quo facto homo officioſus dono illi dedit Vrbem S. Marci, in Bruttijs, ueteres Carthaginenſes imitatus, apud quos milites anulorum ornamentis donabantur pro expeditionum numero, in quibus militaſſent. Atque apud Iberos inualuit ea conſuetudo, ut circa ſepulcrum tot obeliſci erigerentur, quot hoſtes ab eo, qui cecidiſſet, interfecti fuiſſent. Antequam a Conſaluo, tanto duce, digrediamur, licet de eo alibi, nihil tamen eſt tantum, ut maiori non indigeat laude, more noſtro inſigne aliquid afferamus, cum ſub eo multa praeclara geſſerit Liuianus. Ferdinandus, Apulia, ac Calabria non dum contentus, ſpe iam integrum Regnum hauſerat. Itaque litteris Conſaluum monet, ſereret belli undique occaſiones. Hic Armeniaco homini acri quaſdam contumeliae faces admouerat. Non tulit ille. Eductis Gallicis copiis, Hiſpanos inſtitit coercere. Palantes, ac diſperſos nactus, plurimos captiuos abduxit. Tradunt ſcriptores nonnulli, Conſaluum ad ſingulare certamen Armeniacum prouocaſſe: ſed hunc prouocatum pugnam detrectaſſe. Alij ferunt, ab Armeniaco Conſaluum ad proelium inuitatum reſpondiſſe, ſe comparata ratione non temere ſolitum bella capeſſere. Penes quem horum fuerit uictoria, ſit aliorum iudicium. Sane circumfertur, prope Patauium memorabile minime praetereundum, in quo plane Italis uictoria adiudicata eſt; neque ab re fuerit. geſtum enim fuit ſub Li-

uiano Imp. Tres Hiſpani pedites, elati, ut ſolent, animi, Ita-
los ad certamen prouocant, nulla omnino priuata ſimultate; ut, ſi
eſſent aliqui Romanae indolis, in Veneto exercitu in arenam de
ſcenderent, ac paribus armis pro gloria patria dimicarent. Li-
uianus, cum multi certatim eas partes depoſcerent, totidem ma
nipularios expertae uirtutis emiſit; qui, breui uno e tribus Hi-
ſpanis interfecto, ceteris ſauciatis, ac captis uictoriam cum plau
ſu Italis pepererunt. De his hactenus. Iam Liuianus a Conſal
uo ad Venetorum ſtipendia uenerat, ſub quo certamen ſingula-
re geſtum retulimus: atque ad Cadubrium trucidatis Germanis,
ac Tergeſto ueteri Vrbe Maximiliano Caeſari adempto, Peti-
liano Imp. ex S. C. ſocius adiunctus fuerat. Hoc tempore Pi-
ramum Roſcium auum meum Petilianum ſecutum multa forti
manu geſſiſſe noſtri retulerunt: & eorum temporum galeae, to-
races, clauae, baliſtae, atque innumera armamenta adhuc habe-
mus. Sed, ne a Liuiano diuertiſſe uideamur noſtra cauſſa, ſatis
fuerit eius tacitam praeterijſſe memoriam. Ad Medoacum Hi-
ſpani, Germaniq. effuſi, uillas, regio ſumptu, a Venetis patriciis
ſubſtructas, uaſtabant, atque a praealtis turribus incendia ab ip-
ſis ciuibus miſere ſpectabantur. Decreto Senatus Liuianus ad
iniurias hoſtium uindicandas miſſus, milites cohortatur ad di-
gnam Italiae nomine gloriam. Iam ſigna ſuſtulerat: excitati erāt
ex agris coloni ipſi, quorum opera illi barbare deformauerant.
Aduentu Liuiani impoſuerunt incendijs modum Caeſariani.
Ad Abduam uero, cum a pugna abſtinendum exiſtimaret, uictus
quidem eſt, ſed non temere. Aderat Legatus Venetus, qui his
uocibus Liuianum arguit: Quid cunctaris? inquit imperator.
Inſignis e manibus elabitur uictoria. Itaque iudicium Senatus
ueritus potius, quam certandum iudicaret: pareamus, ait, fa-
mae, & Legato. Captiuus in Galliam ducitur Liuianus; qui,
ſcoparum furculis pro calamo uſus, tritoq. carboni adſperſo ui-
no in ſcabra, uiliq. papyro, rerum ſuarum Commentarios per-
ſcripſit. Triennio poſt liberatus a Venetis, in demortui Petilia-
ni locum electus, omnē lapidem mouet, ut eas Vrbes, quas Ve-
neti ſuperioribus annis amiſerant, armis repeterent. Non ſum
ignarus, eſſe, qui tanto duci detrahant, atque inter alia obijciāt
fugam, qua ſe Vicetia profligatus Patauium ſubtraxit. Tu ne
omnem fugam, in bello praeſertim, timiditati, & ignauiae adſcri
pſeris?

pſeris? Nihil rerum inopinatis,ac uariis euentibus,nihil tempori, nihil locorũ iniquitati relictum putas?ſemper ne aut uincendum, aut moriendum erit?Neque interdum, bono ſi id publico fiat, ſe ſubducere non liceat,dum belli Mars eſt atrociſſimus,atque undique horribiles tum procellae, tempeſtatesq. impendent. Placet ne ergo rem ferocius,quam conſultius,gerere? Num Duces Flaminiis potius,aut Terẽtiis,quam Iuliis ſimiles eſſe malumus? quorum hic,cunctando,fugandoque,& in tuta ſe ſe ſemper recipiẽdo, Romanam, priorum Imperatorum temeritate prolapſam, reſtituit rem?Illi uero,praeferuidi utique animi;atque incõſulti, momento temporis ſe,exercitusque, exitiabili clade inuoluerãt. Proinde,ut non omnis omni tempore ſuſcipiẽda pugna uidetur; ne in certam noſtram, & haud dubiam Reip. perniciem feroces, ac praepropери ruamus; ſic quaedam, ut ita dicam, ſalutaris, & non reprehendenda fuga exſiſtit: ut mihi quidem perbelle, quiſquis ille Regum fuit, cuidam eum cum ſuis effuſius fugientem increpanti reſpondiſſe uidetur, Non ſe fugere quidem, ſed concitatiore curſu utilitates a tergo ſitas quaerere. Poſt Liuianus, ſpe Veronenſis obſidionis ductus,in ſupremam ualetudinem incidit. Eo nemo melius diſciplinae militaris leges percalluit,nemo fortius,aut uigilãtius ſingula militiae munera obiuit. Vnum & ſexageſimum natus annum, equeſtri agitatione, atque armorum pondere, cum uiſcera in herniam abijſſent, incredibili dolorum cruciatu raptus eſt.Eius filia Iſabella, matrona nobiliſſima, Aquaſpartae dominatur,paene nonagenaria: me paullo ante per Delphinium,uirum eruditum,ſaluere iuſſit. Liuiani corpus exenteratum, conditumq. aromatibus maeſti milites per plures menſes in caſtris ſolito praetorio retinuerunt, perpetuis tumulum flammis, & continua armatorum ſtatione cuſtoditum. Annus a Chriſto naſcente Liuiani obitus narratur, Milleſimus quingenteſimus decimus-ſextus.

BRACCIVS . PERVSINVS

BRACCIANORVM Familiam qui ad Brachinos Carthaginienſes referunt, perobſcura ſane ſequuntur. Natus eſt Braccius Peruſiae, Kal. Iulij, anno religionis noſtrae Milleſimo trecenteſimo ſexageſimo octauo, Oddone, & Iacoba, uetuſtiſſima Montemelinorum familia, ſi matrem ſpectemus. Tradunt, Andreae huic primo fuiſſe nomen impoſitum, mox, ob conceptam opinionem, gentili nomine Braccium appellatum. Contractum is habuit latus ex uulture, & crus non admodum expeditum. Vir adeo liberalis, ut aliquando Fulginei defuiſſe ad cenam pecuniam narrēt uerius hiſtorici, non autem Viterbij, ut ipſemet Campanus manu ſua in libro apud me de rebus ab eo geſtis emendauit. Itaque ad eam neceſſitatem adductus eſt, in ſuos munificus, ut alteram ueſtis partem diſſuerit, argenteis limbis, Etruſco, ac Gallico more, diſtinctam. Hic Bononiae militat, quam cum copiis ab Alberico relictis in Aemilia, Imperio Romano debita, reſtituit. Poſtea, ad ſuos reuerſus, in Piceno, & Vmbria, multa uaſtat, diripit, uexat. Pugnaſſe dicitur cum Cingulanis ante ipſa moenia, cruenta ſane pugna. Opidum Cimbulum alij uocant. aedificatum dicitur a T. Labieno, qui Pompeij partes ſectabatur. Plinius in quinctam regionem reijcit. Braccius, Peruſiae fractis foribus, ſuburbanum populabundus ingreditur, cum iam tertio bello, breui interuallo temporis, canes latratu Vrbem illam ſeruaſſent. Et uero patriae ſuae imperium repudiauerat Braccius, cum, per legatos tandem coactus, triumphantis more, diuertens a uijs, ornatiſſime ſtratis, honorifice exceptus eſt. Similem pompam exhibuere Florentini, cum purpurea ueſte, auro, atque argento diſtincta, phaleris aureis circumfuſa. multitudo ad eum uiſendum concurrit. Intromiſſum Braccium ad interiora penetralia, atque ad pedes proiectum, Pontifex complexus excitauit, grata commemoratione reſtitutae Bononiae, ac Ladiſlai Regis, Roma, Etruria, ac Latio pulſi. Primus autem Braccius fuerat, qui turmatim in Italia docuerat procliari. Quis uero eius adnumeret pugnas, aut uictorias? Victor celebratur ad Vulſinium lacum, quem qui-

dam perperam Vadimonium uocant, alioqui agri Hortini finibus concluſum. Venerat is ad Montem Flaſconum, quem qui Faliſcum appellat, eidemq. proximum Feroniae lucum adiungit, toto aberrat caelo, cum illa non longe a Soracte inter Faliſcos noſtros Veijs proximos coleretur. Pugnauere eo, quo dixi, in loco ſummi duces, ſummi accenſi odijs, ſummiſq. innixi uiribus, a meridie ad occaſum Solis. Sfortiam, fruſtra reuocantem ſuos, ut in proelium redirent, letale uulnus, ceruice acceptum, retardauit. Hic capti ſunt quadraginta octo praefecti, ac centuriones; uirtute uero maxime illuſtres, Foſchinus ſororis filius, Acactabriga, Mannuſq. Bariles, quos Bracciusin Veſentinam, Martanamque inſulas cuſtodiendos tranſmiſit. Diripit poſtea Tifernum, Nurſiam, Spoletium, & Vmbriam uniuerſam expugnat. Plane ita clarus in militari diſciplina magiſter, Braccius, ut, qui in eius ſchola fuere, inſignes duces habiti ſint. Inter quos numerantur Nicolai duo, Picininus, ac Piſanus, Petrus, ac Ioannes Paulus, Vrſini, Gattamelata Narnienſis, Brãdolinus Comes, & alij multi, qui militarem artem in Italia coluerũt. Porro Braccius, qui alias Conteſtabilis, pluribus muneribus donatus a Regina Ioanna, abierat, deinde hoſtis fuit in Amiternina obſidione. Hic, allato de Sfortiae obitu nuntio, cõtracta fronte, defixisq. oculis, grauiter indoluit, ſegetem gloriae ſuae interciſam, propriae mortalitatis conſcius. Erat Braccius natu iunior maior menſibus octo, & diebus nouem. Vix quinctum poſt menſem, cum in Amiterni obſidione menſibus item quattuordecim fuiſſet, a Sfortiano milite uulneratur. Curatur a Medicis, ſumma diligentia. ſpem maximam praebent ij, uitalem eſſe Braccium. Triduo poſt, Andreaſſus Caſtellus, adoleſcens Interamnas, maiorũ, iniurias uindicaturus, accurrit ad Braccium, dum Chirurgus ei medicinam adhibere uult; ac, ſtylo apprehenſo, inuicta quadam animi ui, Braccio, eum toruis oculis adſpicienti, cerebrum pluries transfixit. futurae uirtutis maximum id fuit argumentum, reipſa poſtea ſaepiſſime comprobatum. Nam Andreaſſus celeberrimus ſui aeui dux euaſit. Hoc genus mortis a Bernardino Corio, & a Chronica quadam Peruſiae, facile colligimus. De Braccio exſtat Epitaphium Michaelis Tarchaniotae Marulli Conſtantinopolitani libro quarto ſuorum Epigrammatum, hunc in modum;

Braccius

Braccius hic ſitus eſt. quaeris genus, actaque ? utrumque
Ni teneas, dicto nomine, nil teneas.

Is, dum ex his praeſentis uitae ergaſtulis liberatur, Amiternum obſidione liberat, Milleſimo quadringenteſimo uigeſimo tertio.

CAMILLVS

CAMILLVS . VITELLIVS

CAMILLVS Vitellius ſub Virginio Vrſino meruit, qui ea aetate plane princeps in militari ſcientia habebatur. Hic incredibilem ſui exſpectationem concitauit, & Imperatoris nomine, & maiorum ſuorum, qui omnes illuſtri bellicae laudis fama floruerunt. Narrant hiſtorici, pugnaciſſimi ducis laudem eo praeſertim die fuiſſe conſecutum Camillum, quo non procul a Luceria integram Germanorum phalangem, Aragoniis militantem, in orbem circumductis ſagittariis equitibus, deleuit. Is primus in Italia ſclopettariorum equitum turmam inſtituit: quod militiae genus poſtea intermiſſum eſt, quod eorum inſtrumentorum grauitate, & longitudine impediti milites miuus expediti ad pugnam uiderentur. Quamobrem non miramur, aetate noſtra leuiora, breuioraq. a Germanis geſtari, qualia nuper Gallia ex eorum manibus innumera excuſſit, ac eo genere armorum onuſtos breui interuallo ita perculit, ac proſtrauit, ut miſerabilem in modum effera illa gens partim turpiſſima fuga, partim ignobili morte contrita in agris ad uolucrum paſtum iacuerit. Ceterum Camillus, Virginium Vrſinum ſumma fide ſecutus, hoc in primis in praeceptis habebat, ut, non ignauos milites imitatus, pone ſequeretur; ſed longius armatus antecederet, ueterum ducum exemplo. Et plane excellentem, atque heroicam quandam uirtutem eſſe Fortitudinem conſtat, quae in maximis, maximeq. difficilibus periculis uerſatur, mortemq. contemnit decoris adipiſcendi gratia, &, ut inquit ille, ſtudet uitam pro laude paciſci. Eadem labores non modo alacri animo ſuſcipit, ſed in ijſdem exſultat, maiorq. ſe exſiſtit. Nam uarios rerum euentus contemnit. Qua militari uirtute praeſtantium cum rarus ſit numerus, ut praeſtans omne rarum, ideo pleniori quodam ore laudantur, & in honore, atque admiratione habentur uiri fortes, quorum beneficio pacis commodis uſi ad Muſarum umbras diuertere poſſumus. Artaxerſes Perſarum Rex in expeditionibus praecinctus pharetra, & praetenſo ſcuto primus, & quidem pedes, loca montuoſa, & cautibus aſpera,

alacriter adſcendebat,ut milites,eo duce, quaſi alis acceptis, leuiores, expeditioresq. redderentur. Alexander Macedo ante ſuorum agmina incedebat; cum uero ad interiorem Perſidis regionem ueniſſet, ad iter perpetuis niuibus obſitũ, locorum ſqualor,& inuia ſolitudo,ipſaq. aſperitas milites terruerat.Ipſe uero, equo deſiliens,pedes,per niuem,ac concretam glaciem, ingredi coepit.Ipſe primus dolabro glaciem perfregit: ſecuti ſunt illum primum amici,tum copiarum duces, demum gregarij milites. Hannibal quoque,militari ſagulo coopertus,inter cuſtodias,ſtationesq. militum,iacere,ac ſomnum capere ſolitus erat.Is in obſidione Saguntina tum in admouendis machinis ad moenia deijcienda,tum in adeundis locis,ubi imminens erat periculum,ſem per primus conſpectus eſt. Horum ueſtigia ſecutus Camillus,in Apulia Circellum opidum,applicata muris ſcala,tranſcẽdere auſus,molari prope lapide ſuperne a femina deiecto,nequidquam protegẽte galea,oppreſſus eſt.Sic ſane Pyrrhus multa ante ſaecula occubuerat. Et uero fuit non effeminatum quidem licet muliebre genus,non nullis nationibus.Valaſca,Boemorum Regina, facta cum ceteris mulieribus coniuratione de excutiendo Virorum principatu,copiarum ductrix,bellum mouit,interfectisq. Viris feminas omnes libertati aſſeruit,adeo, ut ipſius opera, Amazonum inſtar,multos annos ſine Viris regnarint.Camillo glorioſe exſtincto,tumultuarium ex aggere tumulum milites curarunt, cum ceteros fratres immatura ſane morte praereptus ſecutus eſſet,circa ſalutis humanae an.CIↃ.CD.XCV. Hũc ducẽ clariſs. Michaelis Siluij, Luſitani, Cardinalis, carmine laudatum, noſtris etiam uerſibus,licet rudioribus, illaudatum praeterire non debuimus, Scotti Scotti Narnieſis,& mea erga familiam nobiliſſimam obſeruantia.Sic igitur de ſe loquatur Camillus:

Qui docui inuictas acies, equitesq. feroces
Non prius audita fallere & arte duces;
Qui cornu ſeruare unus, primumq. tenere
Hoſtibus attritis auſus in arma locum;
Hoc tumulo incluſus iaceo,prope moenia capta,
Tempora murali fronde reuinctus ouans.
Hoc unum doleo,Circelli ad ſumma triumpho
Feminea ingreſſum me periiſſe manu.

CAMILLVS . VRSINVS

CAMILLVS Vrſinus, Paulli filius, a Caeſaris Borgiae ſaeuitia ſeſe prudenter ſubtrahens, qui nobilitatis decus omne exſtinguere in Italia conabatur, Neapolim delatus, a Rege Catholico, atque ex Grauinae aerario reditibus auctus, magna liberalitate excipitur. Illius uero Borgiae crudelitas maior eſt, quã a quoquam dici poſſit. Non ſatis erat, Columnios, Vrſinosq. proceres necare, exſtincta prope Caetanorum familia, niſi impio dominatu innatam a progenitoribus rabiem in reliquos Pontificiae ditionis regulos, exemplum inſigne crudelitatis, edidiſſet. In Vaticana Villa, ne a ſacris ipſis profanas abſtineret manus, uini lagena medicata ad exitum plurimorum hauſta eſt. Sed, ut deleatur plane crudelis haec memoria, redeo ad Camillum, qui procul a patria, ſub Nicolao Vrſino, Liuiano, ac Iacobo Triuultio, ita eſt inſtitutus, ut patriae aliquãdo ſalutem afferret. Ante enim is arma tractare coepit, quam ferre poſſet. Lodouicum XII. ad bellum Neapolitanum cum tota ſua familia ſecutus eſt, re infeliciter geſta. Inde, ad Florẽtinos conuerſus, a Leone X. Pont. Max. leuis armaturae militibus praeficitur: quod ille munus, licet etiam ſupremum, in exercitu oblitum, paullo poſt ſponte repudiauit, Io. Paullo Baliono Socero capite multato, cuius filiam poſt primam Virginij ſororẽ exſtinctam in uxorem duxerat. Camillus igitur ad Imperatorem uenit, quo tempore Leo Pont. Nomentum, hereditarium opidum, olim Senecae uillam, ademit. Eo defuncto, ducentis peditibus, ac ſexcentis equitibus collectis, in patriam, receptis caſtris agri Sabini, inſigni gloria rediit. Rurſus, ut qui natus erat ad arma, Venetis non longe Ticino, duplici glandis ictu accepto, uictoriam peperit, iiſdemq. Bergomum quadringentis equitibus leuis armaturae, ac ducentis cataphractis ſeruat. Opponit ſe deinde Gregorio Fraiſpergio, homini impio, qui, oppignorato etiã patrimonio, cum quattuor legionibus Mindlauo Sueuorum Vico in Italiã irruperat, ut Clementem VII. laqueo ſuſpenderet: cuius ſcelerati conſilij fidem fecit aurea reſte, quam ſemper in ſinu geſtabat, cuius ſaepe per iocum militibus ſuis ſpectaculum praebuit.

Cum uero Vrbs bello arderet, poſtquam acriter pro patria decertauit, ſe ex Vaticanis muris patriae ſaluti reſeruans, Bergomum uenit. Tum Veneti exercitus dux bello Neapolitano interfuit, in qua expeditione, inter cetera, Manfredoniam obſedit. Haec Vrbs in rupe Gargani montis adiacet, a Manfredo Rege, Federici Secundi Imp. filio, condita, circa Milleſimũ ducẽteſimũ ex ruinis Sipontinis. Hac parte ad litus arx imminet ita firma, ut Odertus Lotrecchius, cum Apuliam ſibi uniuerſam ſubegiſſet, eã expugnare numquam potuerit. Non longe hinc in marmore ſpectantur ueſtigia Bonae, Io. Galeatij Sfortiae, Ducis Mediolanenſis, filiae, & Iſabellae Aragoniae, cum per Hadriaticum mare, e parentis complexu, in Poloniam, ad Sigiſmundum, deſponſata, mitteretur. Interea, fracto Gallorum exercitu, uocatur a Venetis, quo tẽpore a patre acceptos Tripaldae reditus ſane uberes perdidit. Venit Vicetiam Milleſimo quingenteſimo trigeſimo ſecundo: mittitur in Dalmatiam cum tribus millibus peditum: quem ſecutus Paullus fil. heres & dignitatis, & gloriae paternae, ut ſe geſſerit, in oratione, quam ante annos decem in eius obitum ſcripſeram, prout tulit aetas, & occaſio, iudicauimus. In hac regione, cum excurſionibus Scytharum occurrendum ſaepe eſſet, praeclarum fuit & nouum Camilli inuentum. Ad Valli ueteris ſimilitudinem deferebatur id, diſſolutum in partes a militibus, quae cum facillime in unum coagmentarentur, & impedimento, & terrori erant hoſtibus: dum tamen ipſi repagulis obtecti defenderentur. Hic poſteri narrabunt, quod in monumentis Venetis in memoriam ſeruatur, ſex millia ex noſtris libertati reddita fuiſſe, atque hoſtium uiginti mill. in triumphum fuiſſe deducta. Romam poſt reuerſus Camillus, ut patriae, a qua uitam acceperat, uitam & ipſe redderet, in duris ſane ſaeculis, a Paullo III. Parmae curam ſuſceptam, cum ſuſtinere uix poſſet, aere alieno conflato, in Pont. manus reſtituit. Deinde ad Mirandulam pro Balduino defuncto ſupremam in exercitu dignitatem eſt conſecutus. Inita hinc pace inter Gallos, ac Pontificem, dum Petrus Toletanus Senas contendit, ad Eretum, uetus Viſinorum caſtrum, omni humanitatis officio excipitur, ipſe euigilans ad Vrbis trepidantis defenſionem octo peditum millia incredibili celeritate colligit. Eo tempore traſuecto Tiberi, a Sabinis, ad Etruſcos exercitus, per uiam Auguſtam, in Faliſcis, quae a Flaminia diuerteret, ac per

Bouillas

Bouillas in agrum Hortibum uenerat. Tiberi ligneo ponte Hortini ciues ad Piſcinas ueterum Roſciorũ latifundia in Vmbriae finibus iter parauerant; cum ſubita eluuione diuertere in Caſſiã coacti ſunt. Eum diem ſacrum habẽt Amerini, ueriti, ne, ſi ea parte irrũperent, uillas amoeniſſimas penitus uaſtarent. Solent enim illi, ut nomẽ ſonat, deliciis oblectari, ac non modo extra Vrbem, ſed etiam intra pomerium, ut locus poſcit, frugiferis arboribus, & inflexis uinetis, digeſtisq. areolis uti: quae omnia diligenti cultura, ac ſuaui uoluptate culta ſaepe mirati ſumus. Sed Camillus, patriae ſaluti natus, apud Paulum IIII. tantum fuerat auctoritatis conſecutus, ut ſibi magis ille, quam nepotibus, crederet; utinam & omnia crediſſet. Ad eum igitur fiebat totius nobilitatis concurſus. Cum uero Albae Dux in Tuſculanum ueniſſet, atque ad Villam Marianam XL. mill. hominum laterent, ueritus Camillus multo ante, ne ſe in patriam effunderent, prudentia ſingulari, & milite, & praeſidiis hoſtem eluſit, Pater patriae communi uoce nuncupatus. Non multo poſt, cum, rebus turbatis, in hanc lucem primum ueniſſet, pacata Italia, ac Gallo una cum Catholico Rege affinitatis etiam uinculo colligatis, ad aeternam Hieruſalem, quae unica eſt, ſenex ſeptuagenarius, III. Non. Aprilis, Milleſimo quingenteſimo quinquageſimo nono, deſertur ad S. Saluatoris, humeris Rom. nobilitatis, & pompa militari: ubi maiorum ſepulcro conditus eſt.

CAMPSON . GAVRVS

CAMPSON Gaurus, Aegypti Imperator, a primis annis, apud Memphim in ergaſtulo Mamaluchorum diſciplina inſtitutus, magna argumenta induſtriae ſuae praebuerat. Quo factum eſt, ut paullatim ad omnes gradus aſcenderit, praeclara in primis optimi nominis fama, quae ſolet barbarorũ etiam oculos luce ſua praeſtringere. Interim, Caithbeio mortuo, quem filius breui ſecutus fuerat, dum nobiles de ſumma imperij dignitate inter ſe non modo decernũt, ſed acriter etiam decertant, Campſon, qui onus detrectaret, imperator acclamatur. Qui de ſtatu rerum diſceptant, prout apud omnes bene ſapientesq. conſtitutas ciuitates in more poſitum eſt, conſulunt, eũ eſſe in Imperatorem eligendum, quem nemo aut oderit, aut extimeſcat; ament certe omnes fama probitatis. Hoc nomine cenſebatur Campſon, qui ſingulari ſeueritate eam, quam inuitus ſuſceperat, adminiſtrationem rexit. Habemus in hiſtorijs, per haec tẽpora Legatos Venetos, Catarinum Zenum, Ioſaphatem Barbarum, & Ambroſium Contarenum, in Armeniam ueniſſe, ac diuerſis uiis totum Orientem peruagatos itinerũ ſuorum commentarios reliquiſſe. Interea Perſarum Legati artifices, qui aenea tormenta conflarent, a Venetis poſtulare, quibus, quae in ora Graeciae amiſiſſent, recuperarent. Id ad Baiazetem, qui tunc erat eius Ethnicae gentis Imperator, refertur. Quamobrem per oratores, ac litteras conqueſtus eſt apud Campſonem Gaurum, Aegypti Regem, quod minus amice faceret, qui legatos per mediam Syriam ad communes hoſtes tranſire permitteret. Zenus, cum aliis pluribus, Memphim perducitur, qui, coram Campſone ſaepius cauſſam ex catenis dicere coactus, uix poſt annum, quo omnes cõtumelias ab immanibus Mamaluchis pertulerãt mercatores inmeri, qui erant in uinculis, inſignis Oratoris uoce, uitam, ac libertatem imperrarũt. Porro deinde Aegypti pacis inuidus Selymus bella ſuſcitabat. Obſtat illae audaciae Tyranni, ut erat aequiſſimus belli arbiter. Ille erat Selymus Turcarum Imperator, qui, Calderanis in Campis ſtratis Perſis, Iſmaelis Sophi uaſtata regia, Syriae, atque Aegypti Reges delere auſus eſt. Hunc ab atra

nube

nube equum, Carabulũ nomine, adamaſſe ferunt, cui ueluti emerito uacationem dederat, ſic; ut in honore habitũ ſine Seſſore ſola ex textili auro ſtragula protectum in Aegyptum uſque deuexerit. Eius enim curſu ſe ſe Tartarorum aſpectu ſubtrahens, cum paucis Varnam profugerat. Huic demum mortuo ad Memphim, Alexandri Magni exemplo, ſepulcrum condidit Tyrannus, in beſtias pius, in ſuos impius, qui necatos fratres communi tumuli honore priuaſſet. Sed ecce tibi Selymus Campſonis caſtra aggreditur. Statuitur ad dimicandum dies: perſonat claſſicum: tubarum per campos exauditur ſonitus, qui pauorem aliis, ardorẽ aliis adderet. Tum Campſon, infeſtis ſignis, obuius, tanta ui in Turcarum cohortem impetum fecit, ut eorum nemo conſiſteret, omnesq. conuerſi non ſolum loco excederẽt, ſed etiam protinus incitati huc, illucq. pagarentur. Eodem impetu cohortes ſiniſtrum cornu, pugnantibus etiam tunc, ac reſiſtentibus in acie Scythis, circuiuerant. His praeclaris conatibus obſtitere inſidiae. Cayerbei, Alepiani praefecti, qui, ut in hoſtem ſtipendia faciebat, ita perfidus in Imperatorem ſuũ arma conuertit. In hoc conflictu Campſon, licet aetate grauis, ita ſemper ſe geſſit, ut egregios milites, & aetatis ardore efferueſcentes, longe ſuperaret. Quod ſi, ut opinione ſcriptorum circumfertur, Cayerbeius partes ſuas, ut ceteri Mamaluchi duces, in fide ſuſtinuiſſet, plane inſignem triumphum Campſon eo die retuliſſet. Qui quidem triumphus eo maior futurus erat, quod longe minoribus copiis quaſi infinitum Scytharum numerum profligaſſet. Verum proditionis hoc uitio accidit: cuius nomen eo magis effugere debet miles, quod eo ipſo, quo alterum prodit, ſe etiam in illius met, cui rem prodit, proditoris ſuſpicionem coniicit. Haec pudori caliginem obiicit: haec nihil non audet. Eſt enim ueluti ille praefulgens gladius, e lacunari ſeta equina demiſſus, qui impendebat beati illius Democlis ceruicibus inter unguenta, inter coronas, inter odores, inter conquiſitiſſimas epulas, inter pueros Regios, ut iam beatus amplius nollet eſſe. Contra hanc nihil poſſunt arma, nihil praeſidia. Itaque uere dictum eſt a ueteribus, Praeſidium caritate, & beneuolentia ciuium ſaeptum eſſe oportere, non armis. Eſt uero hoc genus proditionis in patrem plane in ultimas terras aſportandum: cuius tamen conuictus is Selymus eſt, qui cũ Campſone decertauit. Meminimus paternos plenos lacrymarum eiulatus.

latus. Patiemini, exclamabat ille, ad ſua antiqua praeſidia, in hac triſti canitie, extremoq. aetatis actu, a nequiſſimo filio nihil tale merentem patrem crudeliſſime trucidari? Oratione deleniſſe uidebatur barbaro. Sed, ut eſt eorum hominum mos, qui mobilitate, atque malitia, dum deprehendi extimeſcunt, praeſenti perfidiae nouum ſcelus, nouamq. perfidiam addunt, non ſe continuit a ſcelere Selymus. Chiurleus pagus, antea obſcurus, & ignobilis, nomen ab immanitate accepit. Paucos enim poſt annos eodem in loco Selymus immaturum uitae finem uidit: ſic parricidio iuſtas poenas exigente. Neque enim in terris diu felices uiuunt, qui immani crudelitate omnem humanitatem exſuerunt. Rapitur Selymus nobili furiarum pompa, ad ueterum patrum cruciatus. Sed, ut cum Campſone concludam, ille in eo, de quo dixeram, certamine in acie ab equitatu contritus, nemine agnoſcente, ubi repertus eſt, ac triduo oſtenſus, aditum ad ea Regna Othomanis aperuit.

Dies eius proelij notatus eſt VI. Kal. Quinct. Milleſimo quingenteſimo decimo ſexto.

CANIS

CANIS. SCALIGER PRIMVS

CANIS Scaliger Primus, qui Grandis cognomen tulerat, ab Alberto patre acceptum dominatum fouit, auxitque. Nomen, quod Imperatorem ſignificat, a uictis barbaris reportauit: id quod erat temporibus illis glorioſum, & in more poſitum: ut hoc etiam honeſtiſſimae laudis, praeter inſignia, referret teſtimonium. Hoc exemplum ſecutos Vicecomites legimus. In Syriam una cum Gotfredo profectus Otho, rem geſſit, ut exſtat in annalibus, ualde memorandam. Forte, dum Hieroſolymae obſidentur a noſtris, proceſſit barbarus, uiribus ferox, armorum, & corporis ſpecie inter ceteros eminens. Is in medium uenire iubet, ſi quis ex Chriſtianis ſingulari certamine rem decernere auderet. Mirari omnes: nec quiſquam ex tanta multitudine ſortem tanti periculi adire. Ipſa corporis magnitudo, ac totius uultus immanitas terrori erat. Tunc Otho Vicecomes, in quo eximiae uires, animus intrepidus, & Regij ſpiritus aliquid, haerebat armatus; ad gigantem acceſſit; initoq. protinus certamine, barbarum, ferocius exſultantem, primo congreſſu ſtrauit. Detraxiſſe ferunt non arma tantum ab immani iacente cadauere, ſed & nobile ſpolium. Vipera ſtabat ſinuoſa, nudum infantem ſemінecem, gementi ſimilem, & ſuffuſo cruore turgidum, dentibus tenens. Inſigne ſane taetrum, & barbaricae crudelitatis documentum, niſi quod hoſtium ſpolia, quo magis ab humanitate receſſerint, eo ſpecioſius ſunt uictoriae monumentum. Itaque, ad ſuos reuerſus, Otho parta trophaea patriae dono dedit. Dicauere ciues legionibus Viperam: manſitq. illuſtre eius familiae gentilicium. Hic inſignia a barbaris ſtratis, Scaliger nomen tranſtulit. Nam ex pluribus proeliis uictor ſemper rediit, praeter quam in Patauina obſidione, in qua ex inſidiis ſuperatus eſt: in quo etiam uicit eum, uulneratus, atque ex equo deiectus, acriter decertans, certiſſimum uitae periculum effugerit.

Inde

Inde,renouato bello,Patauium ſubdit,Vicetiam obſidione liberat,adiunctiſq. Gibellinis, Cremonã, ac Taruiſium expugnat. Hoc duce,& Actiolino, maiorem Inſubria uidit neminem; hunc tamen ſcriptores humanitate longe ſuperiorem praedicant. Placet hic Actiolini ultimi ſaeuitiam attingere, ut praetereatur is, qui Caeciliam Baoniam, Actiolino ſecundo nuptam, incorruptamq. animo ad aquas Aponenſes media in uia intentato ad iugulum pugione uiolauit. Ex hoc tertius editus, qui ſecutus Fridericum Secundum immane monſtrum Italis uiſus eſt. Huic id unum curae erat, ciuitatum fortunas in fiſcum redigere, proſcriptis, ac damnatis ciuibus, fana donariis ſpoliare, ſacros reditus auertere. In urbibus carceres tenebris horribiles erexerat, in quibus miſerabili inedia, taetro ſqualore, ac fetore immenſo, uiui enecarentur, partim aliis pallentibus in cadauerum complexum, partim in caeca nocte mortem implorantibus. Saeuiſſimum monſtrum, cui ſuauiſſimum eſſet inuocantibus uitam in tormentis producere; cuius in ſuppliciis ad tria millia omnis generis ſublata narrent hiſtorici. Paucis quidem poeta ille nobilis; ſed plane ita, ut erat eius ferale ingenium diſticho expreſſit:

Sylla, Nero, Caius, Marius, Mezentius: his tu,
Azzoline, ipſo & ſaeuior es Phalari.

Viſum eſt, more ueterum, parallelum copioſius afferre, quando hiſtorici Actiolinum conferre Scaligero auſi ſunt. Is enim, de quo initio ſcribere coepimus, humanitate, ut ille inmanitate, praeſtitit. Fecerat is, loco carcerum domum hoſpitalem ſingulari diſciplina inſtructam, unicum nobilium miſerorum perfugium. Hic, diſtinctis aedium partibus, poetas, pictores, & praeclari cuiuſque artificij magiſtros, profugos, quaſi in ſuauiſſimis Muſarum umbris, fouebat. Hic ipſe Dantes patriam carmine, ut ea ſaecula ferebant, eleganti, & in primis erudito exſul illuſtrauit, qui non ignoraret; minus gratis ciuibus nos adhuc parenti debere. Sed nos de Scaligeris parcius, ut de ceteris; dum ſumus in exſpectatione immenſae hiſtoriae Auguſtini Valerij, Sanctae Romanae Eccleſiae Cardinalis Ampliſſimi, quae, ut ex uetuſtiſſimis monumentis collecta, clariſq. magni

Oratoris

Oratoris depicta coloribus, ita & fidem maiorem eſt habitura, & uoluptatem poſteris allatura. Vt concludamus, Scaliger, cum auidius ex frigido fonte hauſiſſet, non dum ſenex, XI.Kal.Sextilis, ex hac uita exceſſit. Veronam delatus, ſepulcro donatus, carmine in marmore inciſo, anno Chriſti, qui fuit Milleſimus trecenteſimus uigeſimus nonus.

CANIS . SCALIGER SECVNDVS

CANIS. Scaliger Secundus, Maſtini filius, in parentis defuncti locum Veronam tenere coepit a diuino partu Milleſimo trecenteſimo quinquageſimo. Quam adminiſtrationem ut pacifice conſeruaret, putauit ſibi in primis cum uicinis amorem, ac beneuolentiam expetendã eſſe, quo coniunctionis uinculo ſua in pace poſſideret. Itaque, uix accepto clauo, foedus iniit cum Ioanne Vicecomite. Is, quartus ex Matthaei filiis, ac factionis praerogatiua inſignis, Mediolani Archiepiſcopus delectus fuerat. Quo tempore a Ioanne Pontifice Maximo deſignatus Aycardus, ab Vrbis ingreſſu prohibitus, finibusq. ſum motus eſt. Itaque Põtifex hominem deteſtatus, exſecratusq. eſt: de quo nos in noſtra Epitome Vicecomitum ſatis diximus. Studuit uero Scaliger Philippinum Gonzagam ſibi in gratia retinere, qui, recens, Paſſarino Tyranno exſtincto, libertatem afflictae patriae reſtituerat. Hic Ateſtinos quoque ſibi adiunxit, ut, undique amicorum ſaeptus praeſidiis, quam ſe in partem inimicus dediſſet, haberet ditionis ſuae propugnatorem. Sic rebus firmatis, in Bolzanum, quod in faucibus Germaniae trigeſimo lap. Tridentina Vrbe diſtabat, proficiſcitur, ad nundinas totius Europae celeberrimas, quod eo confluentes Germani, potiſſimum Germaniae opes exponantur. Hanc occaſionem nactus ſpurius frater, domi relictus, qui regnum illud affectabat, excitata populi ſeditione, Veronam occupat. De fraterna proditione certior factus Canis, in primis ab amicis auxilia implorat. Vt pleraque optima difficillima, ſic nulla magis ardua adminiſtratio, quam Regni bene regendi. In principe felicitatis ciuium ſumma poſita eſt: in eo ſitum eſt, ſalutem, luemq. immittere. Verum inter omnia praecepta non infimo loco habendum eſt, quod ſecutus eſt Scaliger, ut, amicis ſaepti, quaſi uallo quodam, noſtra tueamur. Magnum certe in rebus aduerſis praeſidium Amicus. Huc pertinet Myrtili militis proſopopoeia ex Iulij Leonidae Graeco epigrammate, ſcutum ſuum celebrantis, quod in periculo potiſſimum

praeſto

praeſto eſſet. Id ego ſic uertebam; licet iam tertium ab aliis redditum non ignorarem:

Bis pereo, uitam reparo bis Myrtillus: urgent
Mille pericla ſalo, mille pericla ſolo.
Ex bello incolumem clypeus me ſeruat, & idem
Per mare iactatum litora ad ipſa refert.

Hic plane typus eſt ueri amici, numquam non ſuppetias ferentis; uel etiam in iis, ad quae amici facultas pertingere non poſſe uideatur. Quamobrem Scaliger, Gonzagis, atque Ateſtinis ueteribus familiaribus, Veronam obſidet, expugnatque, in ipſis Bacchanalibus, ſpurio fratre, ac coniuratis omnibus ad unum interēptis. Id contigiſſe habent annalia anno quarto ab ipſius gubernatione. Cui etiam non dubium proſpere res ſucceſſiſſe, qui Pontificiam dignitatem maxime ueneraretur. Nam aduerſus Barnabam Vicecomitem, Bononiam oppugnantē, pro Romano Pontifice, non ſemel ſubſidia tranſmiſit. Pro quo beneficio, ſane temporibus illis opportuno, Carillus Albernotius, qui ad Italiā pacandam ex Galliae finibus fuerat delegatus, pleno poteſtatis imperio, Canem Veronae Vicarium confirmauit Milleſimo trecenteſimo quinquageſimo anno a Chriſti ortu. In hac maxima gloria, ac pace rerum ſuarum optatiſſima, minoribus his relictis opibus, cum annos uigintiquattuor regnaſſet, ab impio fratre occiditur, anno Chriſti, qui fuit Milleſimus tercenteſimus ſeptuageſimus quartus.

CARILLVS. ALBERNOTIVS

AEGIDIVS, uir Hiſpanus, gente Carilla, patria Concha, ſtirpe Regia, Garziae Albernotij fil. a Clemente Sexto, una cum aliquot nobilibus, inter Cardinales adſcriptus eſt. His miſerandis temporibus Tyrannis Italiam oppreſſerat. Inter omnes Tyrannos ſatis ſit unius Nicolai Rentij attigiſſe memoriam, de quo hiſtoria manuſcripta circumfertur, ut ex infimi hominis audacia eorum, qui auctoritate pollebant, uis innoteſcat. Is, Romanus ſcriba, occupato armis Capitolio, tantum ſibi beneuolentiae apud omnes conciliauerat, ut facile, quo uellet, mentes populi Romani impelleret. Quo uero magis plebeios animos commoueret, quae ſolet eſſe plerumque rerum nouarum auida, hoc titulo utebatur, *Nicolaus, Seuerus, & Clemens, libertatis, pacis, iuſtitiaeq. Tribunus, ac Sacrae Romanae Reip. liberator illuſtris.* Qua uerborum pompa tantam de ſe opinionem concitauerat, ut omnes Italici nominis per Legatos pacem, amicitiamq. popoſcerint. Verum breui ceſſit fucata gloria, &, Tyrannus cognitus, magiſtratus ſui Menſe ſeptimo, mutata ueſte, in Boemiam abiit, ad Carolum, Ioannis Filium. Hunc Auenionem ad Clementem Pontificem mittit. Interea Franciſcus Baroncellus, pulſis e Senatoria dignitate Ioanne Vrſino, & Petro Columna, ita inſcripſerat: *Franciſcus Baroncellus, Scriba Senatus, Dei Gratia Almae Vrbis Tribunus ſecundus, ac Rom. Cos.* Ad cuius audaciam comprimendam Romam mittitur Nicolaus, qui, Baroncello interempto, Tribunatum repetiit. Quamquam, immemor ſui, nobiliſſimam, ac potentiſſimam Columnenſium familiam dum inſequitur, e Capitolio fugiens, ab uno ex Sabellis, quorum item familia inter primarias eſt, ſimulato in amictu cognitus, obtruncatur. Huic saeculo infauſto opportune Aegidius datus, qui in Italiam uenit, ut eam, a Tyrannorum impetu oppreſſam, in priſtinam libertatem uindicaret. Qua in Legatione ita ſe geſſit, ut plane omnium exſpectationem uicerit. Etenim omnia opida recepit, quae Tyranni, inſtigante Bauaro, in Flaminia, Piceno, ac Sancti Petri, ut uocant, Patrimonio occupauerant.

rant.

rant. Vicarios, quos uidet Eccleſiae Romanae obſequentes, in opidis confirmat. Inter quos fuit Galeottus Malateſta, Guido Polentanus, & Varranenſes. Ordelaphos uero pertinaces bello biennio perſecutus, e Foro Liuij, Foroq. Pompilij, ac Caeſena deijcit. Pacata Flaminia, Aegidius Forum Liuij aerarium eſſe uoluit earum pecuniarum, quae Auenione miſſae fuerant, ut Italiae arces repararentur. Quo loco inſtitutiones quaſdam Vir prudentiſſimus ſcripſit, quarum peruetuſtum exemplar in membranis inter antiqua ciuium meorum monumenta legi. His peractis, pace parta Italiae toti, Aegidius, cum maximam uim auri in praeſidiorum reparationem contuliſſet, ac Principes omnes, populoſq. ad officium redegiſſet, anno quincto Legationis ſuae ſucceſſorem habuit Arduinum Burgundum, Abbatem Ciſtercienſem. Abeunte Aegidio, omnia perturbari: Piſani Florentinos uexare, uillas paſſim incendere, uniuerſa diruere. Cum igitur rurſus tumultuari coepiſſet Italia, Aegidius cum ſumma poteſtate mittitur, qui cum Lodouico Gonzaga, Nicolao Ateſtino, Franciſco Carrario, initis foederibus, Barnabam e proelio, ſaucium, ac fugientem, amiſſo filio, ac ducibus ipſius exercitus captis, eſt perſecutus. Harum rerum praeclare geſtarum longe lateq. fama peruagata, ad Aegidium ueniunt Galliae, Angliae, ac Cypri oratores, quibus ille pacem cum Vicecomitibus deprecantibus liberaliter conceſſit. Rebus feliciter geſtis, Vrbanus Quinctus, anno quarto ſui Pontificatus, cum annos circiter ſeptuaginta in Gallia Sedes fuiſſet, Romam uenit, quae diuturna parentis abſentia, uitium, ac ruinam traxerat. Pontifici Cornetum uſque obuius factus Carillus, rationeq. adminiſtrationis ſuae reddita, liberatus tantae Legationis onere, Viterbium cogitat, ubi, curis ſolutus, ſenex generoſus conquieſceret. Hinc uix tribus exactis menſibus, ad ueram, aeternamq. in caelis quietem conuolat, anno noſtrae ſalutis, ut in hiſtoriis Hiſpanis legimus, Milleſimo trecenteſimo ſexageſimo quarto. Sunt, qui exiſtiment, Aegidij oſſa in Eccleſia Sancti Martini ſupra Vituruium in monte Cimino condita eſſe; ſed eo loco depoſita, delata poſtea Aſiſium ad Sancti Franciſci, ubi uiuens ſibi ſumptuoſum ſepulcrum conſtruxerat. Monaſterium, quod Eccleſiae cohaeret,

ret, totius ordinis caput habetur, nec ſtructura toto Orbe huiuſce Ordinis inuenitur, quae hanc ſuperet. Inde ſuorum precibus in Hiſpaniam defertur, tanta celebritate, ut, culparum ſolutione tributa portitoribus, prouinciae certarent inter ſe pietatis officiis. Iacet Toleti Archiepiſcopus Toletanus, in magno Templo.

CARO-

CAROLVS. SEQVANORVM DVX

CAROLVS, Sequanorum dux, Philippo patri ſuccedens, icto foedere una cum Galliae nobilibus, aduerſus Gallorum Regem Lodouicum Vndecimum arma mouit. Ingreditur Galliae fines, ac, pluribus in ea caſtris occupatis, cum indicta eſſet belli dies, a dextro cornu ita hoſtem fregit, ut diu fugientem inſequeretur. Inde, reuerſus eo, unde furore belli ſe ſe abſtraxerat, alterum ſuorum alam declinantem adiuuans, licet ſemel & iterum ab hoſtibus circumuentus eſſet, & in gutture uulnus accepiſſet, auſus eſt, auctis copiis, Regem Lutetiam uſque inſequi. Quem ad locum ubi uenit, haec pollicitus fuiſſe dicitur: a uectigalibus libertatem, & religioni antiqua decora ſe reſtituturum. Indignum enim eſſe aiebat, Francorum Regiam, quae ceteris populis ſuae exem plum grauitatis, dignitatisq. dediſſet, ſeruitute premi: ſe facturum, ut Rex principem, patremq. patriae agere aſſueſceret, utq. animum induceret, patrios mores, inſtitutaq. maiorum colere, atque in primis nobilitatem ſuis honoribus non fraudare. Et uero Lodouicus Vndecimus, Carolo Septimo, die Sanctae Magdalenae feſto, Magduni Biturigum decedente, anno eius ſaeculi ſexageſimo primo Rex ſalutatus, ſacratusque, longe alio, quam quo pater, inſtituto ſibi regnandum arbitratus, ſollicitam ſibi omnem deinde uitam effecerat. adeo repentina omnis magnae rei mutatio, ipſis perſaepe auctoribus oppreſſis, moleſta eſſe ſolet. Is in Regno aulicos patris in nullo honore, gratia ue habuit. Toto ferme Regno magiſtratus, praefecturas, procurationes, munerum functiones, in quibus aliquid dignitatis, commodi ue foret, repudiatis ueteribus, nouis hominibus demandabat: ueteranis militibus, ductoribusq. Ordinum exauctoratis. Quod maximo malo illi exſiſtit. Id uero aliis Principibus exemplo eſſe debet, qui, ſi fidem in ſuis requirunt, a benemeritis militibus poſtulent; in nouos gratia lente ſubrepta,

repat, quos ſpatia temporum, & officia probauerint. Itaque coactus Rex ad eas condiciones deſcendere, quas maxime Dux optaſſet, pax facta eſt, quae Confluentiae nomen obtinuit. Hinc illa Regia uox: Sua cuique: &, quas a maioribus ſuis facultates, & quae a patre munera, honoresq. acceperant, reſtituo. Cuius generis argumenta interdum inter haec Elogia libentius inſerimus, non modo ad uoluptatem, ſed etiam ad utilitatem, quam capere fortaſſe poterunt, qui, minus caute, aliter, ac a maioribus ſuis acceperunt, gubernationis formam inſtituunt. Carolus uero conuertit ſe ad Britones, citerioris Britanniae gentem, quae in Gallia eſt, ac Normandiae defenſionem, Leodio, atque Eburonibus, non ſine ſanguinis effuſione, expugnatis. Eodem tempore Oduardo, Anglorum Regi, affini ſuo, opem tulit, qui a Regio ſolio deiectus fuerat. In eam inſulam feraciſſimam, quae nec lupos, nec rapax ferarum genus edit, in mira caeli, ac copiarum omnis generis ſuauitate, tanta celeritate aduolauit, ut non modo aduentantem, ſed ne abeuntem quidem praeſenſerint. Reſtituitur in patrium Regnum Oduardus, duce Carolo. Henricus, in carcerem truſus, maerore exſtinguitur: filius in bello cadit: coniux, licet diſcordias foueret, libere dimittitur. Quamquam, in Heluetios conuerſus, ita ſe atrocem praebuit, ut quingentos ex eis longo ordine laqueo ſuſpenderit. Quo facto, ea gente acrius in ſe irritata, Carolus, collectis uallis, ſolum uertere coactus eſt. In Lotharingiam ſumma hieme peruadit, ubi, certamine in diem integrum & eo amplius producto, confoſſo equo, inopinato hoſtium aduentu, triplici accepto uulnere, obiit, dux maximi animi. Eſt enim haec natio ſtrenua, & equitatu maxime praeſtans. In qua flos nobilitatis, aetate noſtra, digniſſimus eſſet, qui celebraretur, Antonius a Bauma, Comes Montis Riuelli, Vir clariſſimus, & rebus a ſe praeclare geſtis, & auorum memoria; quorum inſignia ex Hieroſolymitana expeditione una cum Gotfrido, in ſacris illis Palaeſtinae parietibus expreſſa, in perpetuum eius familiae pro Religione Chriſtiana teſtimonium, praefulgent. Eadem maiorum ſuorum ſigna, ut, ſuis, ac Religioni debita, e profanis impiorum manibus erepta reſtitueret, ac ſedem illam impietatis,

ac pa-

ac patinam omnium ſcelerum exſcinderet, non deſtitit Vir fortiſſimus ad portas uſque Geneuae excurrere. In hunc ego hoc carmen feceram; dum maioribus eius factis maiora hiſtoriarum monumentis commendem.

Pugnantem ut uidit pro ſe, pro nomine Chriſti
Sancta fides, gelida ſtare ſub Alpe Ducem;
Perge, ait, Antoni: uinces: uictoria nulla,
Quam pro me, & Chriſto, pulchrior eſſe poteſt.

CASTRVCIVS·CASTRACANIS

CASTRVCIVS Caſtracanis, Antelminella, nobili familia, mira uarietate humanorum euentuum, ad exercitus praefecturam adſcendit. Luca patria, ob Gibellinae factionis nomen, pulſus, in Galliam uenit; inde in Angliam profectus eſt: qua in regione inita cum Odoardo Rege familiaritate, unius paruae pilae luſu, qua mirifice Rex oblectabatur, cum ex altercatione illatam ſibi iniuriam, Regulo pugione traiecto, depuliſſe ſibi uideretur, per Tameſim, ad Belgas, incredibili celeritate ſcapha conſcenſa, transfretauit. Hic, ſub Alberto Scoto, nobili Placentino, ordines duxit, tanta gloria, ut etiam in Gallorum monumentis ſui celebrem memoriam reliquerit. Inde, ſpoliis onuſtus, in Italiam redijt, ea ſpe, ut, & ſe patriae, & libertati patriam reſtitueret. Erat temporibus illis Vguccio Fagiolanus Lucae, cui Nerium filium praetoriae poteſtatis procuratione praefecerat. In huius ſe gratiam Caſtrucius inſinuauerat. Quamquam ille, qui ad Etruriae Imperium adſpirabat, ueritus eius ingenium, in ergaſtulum ita coniecerat, ut breui e medio ciuitatis, ac ſuorum ciuium adſpectu, quibus gratus uidebatur, ſecuri percuſſum eriperet. Verum, quod admiramur, & paene, cum legimus, aſſenſum cohibemus, quaſi quiddam poetarum fictum coloribus, e tenebris ad lucem, ex cuſtodia in libertatem, e crudeli ſecuri ad ſceptrum, ad Vrbis dominatum uocatur, Pater patriae acclamatus eo ipſo tēpore, quo Vguccio Fagiolanus quaſi e Regia Etruriae, ac Piſarum Imperio, miſere deijcitur. Quis, cū ad carcerem concurſum fieri uideret, non putaret itidem hominem ad ſupplicium rapi? Quid uinculis cum corona? Quid commune habent catenae cum aureo torque? Quem cum miſeria locum habet uoluptas? Hoc certe innocentiae debebatur ſolium, quod ui ille rapuerat. Qualis eſt haec rerum humanarū uarietas? Plane haec contemnenda, quae in perpetuo motu ſunt, ſpectanda caeleſtia, quae nullam mutationem admittunt. Conferto noſtrā longiſſimam aetatem cum aeternitate: ita breuis reperitur, ut nec quidem momento par ſit. Conferantur triumphi, qui, ut non ſine ſanguine comparari ſolent, ſaepe etiam luctu concluduntur. Leuiſſimum eſt, ſe uulgi ſermonibus dedere, & in praemiis humanis

ſpem ponere rerum ſuarum. Regna, imperia, honores, nobilitas, opes definiuntur tempore, & puncto parta pereunt. Non poteſt eſſe hoc ipſum diu, in quo eſt aliquid extremum: nihil ſemper floret: idemq. uix ortum occidit. Aulus Vitellius, ut de hoc pauca afferamus, in Germaniam, ad regẽdos exercitus, miſſus, cum nec quidem pro uiatico ſatis haberet pecuniarum, niſi uxoris margaritas uendidiſſet; poſtea, creatus Imperator, Romam uenit, Augusti nomine ſalutatus: ſed breui tanta felicitas in miſeriam, ac luctum conuerſa eſt. captum, ac uinctum Veſpaſiani militares duces per Vrbem traxerunt, appoſito gladij mucrone ſub mento, ne uultum obtegere ab iniuria poſſet, cum coeno, ſordibusq. eum pueri inceſſerent. Caeſus ad hunc modum, & per ſcalas Gemonias coniectus Imperator, ad quas eorum corpora proijciebantur, quibus ſepulturae ius fuerat denegatum. Certe, qui tam paruo tempore, tam uarie, tam grauiter tulerint, perpaucos fuiſſe, arbitror. Verum Caſtrucij diuerſa ratio. Is cum ſtatum, quem ſibi longa patientia, ac uirtute quaeſierat, moderate, ac prudenter ſtuduit retinere. Nam, Piſtorio in poteſtatem redacto, Gibellinae factionis princeps, Guelſos ad Altopaſſum, pari paene Montecatinenſi proelio, concidit. Itaq. Lucam redeuntem, non diſſimili triumpho ab eo, quo ueteres Romani Capitolium conſcendere, ciues ſui exceperunt. Qua comparata laude, non ſe otio, aut deſidiae dedit. Nam, a Lodouico Bauaro uix commeatu impetrato, apud quem antea gratia pollebat, liberatus, quod Guelforum partes rueri uideretur, Piſtorium magnis itineribus contendit. Hic, diuturna noui generis obſidione, & fame, preſſum ad deditionem compulit. Cuius quidem obſidionis dum triumphum petit, aeger Lucã uenit, Galeatium, ueterem amicum, eadem caeli inclemẽtia morte praeeuntem, paullo poſt ſecutus, ad eam caeli patriam properans, ad quam adſpiramus.

Erat annus a Deipara Virgine, Milleſimus trecenteſimus uigeſimus octauus.

CONSALVVS

FERDINANDVS

CONSALVVS Ferdinandus, merito omniũ gentium conſenſu Dux Magnus appellatus, Cordubae, Baetica, urbe peruetuſta, Lucani, atque utriuſque Senecae patria illuſtri, natus, Petri filius fuit, cuius uirtus in Punicis bellis po tiſſimum enituerat. Is, cum in Hiſpania, ac Germania, felici rerum ſucceſſu, bella geſſiſſet, Baetico ſolo purgato, a Rege Catholico quinque millium peditum, equitumq. ſexcentorum ductor creatus, ad Siciliam appulit. Inde, per Italiam ſui Regis partes ſecutus, inſignes honores retulit. Primum Regium, Coſentiam, & ad ſexaginta caſtra apud Calabros expugnat, auxilijs Fabricij, ac Proſperi Columnae. Cum uero ſaepius cum Gallis dimicaſſet, tandem cum illis ita conuentum eſt, ut Galli incolumes rebus ſuis ſaluis egrederentur. Hinc ad Oſtia Tiberina archipiratam, eam uniuerſam partem infeſtantem, fugat; ac mare Tyrrhenum, Hadriaticumq. traijciens, octo millibus peditum, ac mille ducentisq. equitibus aduectis, inſulam Samum Venetae ditioni ſubdit: pro quo beneficio accepto, inter alia munera, Conſaluum ea ciuitate donarunt. Fuit uero tanta animi integritate, ut, cum Regi ſui nomine contra Federicum Regem Neapolitanum bellum indicturus eſſet, eidem Vrbes duas, ac ſeptem caſtra dono antea accepta reſtituerit; iniquum eſſe affirmans, cum eo pugnare, cui foederis uinculo coniunctus eſſet: dum non deſunt, qui, ab hoſtibus opulentiſſima colligentes ſtipendia, impudenter merent. In conſilium cum uiros graues, tum ſemper, tum in Lucania, alendo militi, trahendoque, inter ceteros Matthaeum Aquauiuam, Praecutiae Hadriae regulum, adhibuiſſe dicitur, in utraq. diſciplina clarum, cuius, praeter Actij Sannazarij inſigne teſtimonium, exſtant in bibliotheca mea monumenta praeclara nobilis ingenij, de Venatione, & Aucupio. Cannas Ferdinandus in Apulia a Gallorum impetu defendit. Idemquaed Erdoliam, ſiue, ut alij, Ardoneam, uictor, abſque leuiſ-

ſima

ſima ſuorum offenſione, celebratus eſt. Ferunt, adeo liberalem fuiſſe Conſaluum, ut, cum Gallorum ſpolia ſuis partiri non potuiſſet, mandauerit militibus, ut domus ſuae ſupellectilem depraedarentur. Mox illi, dicto audientes, ita in Ducis ſui res irruerunt, ut hoſtiles, ſicq. plane hominem non ſane diuitem expilarint. Interim Rex Galliae decem & ſeptem millia peditum, & tria millia equitum pro reſtitutione Regni Neapolitani in Italiam mittit: quod infauſte ceſſit, caeſis Gallis ad Linternum fluuium in Latio, oppugnante Conſaluo. Huic cum ſe quoque Caieta dediſſet, nihil plane ſupererat in eo tractu terrarum ferociſſimo, quod non magnus dux ſibi ſubieciſſet.

Hic etiam Conſalui liberalitas commendata eſt, quae ſolet eſſe in ducibus praecipua. Diocletianus, cum, depoſita Imperij adminiſtratione, ſolitariam uitam ageret, a quibuſdam interrogatus, quae eſſet in Principe dos potiſſima, Liberalitas reſpondit. Nec enim ornatur Princeps, niſi communi utilitati ſtuduerit. Quam rationē qui tenere neglexerunt, ſe in manifeſtum periculum adduxerunt. Namque uſu comparatum eſt, ut ingentes pecuniarum theſauri inſidiatores quam plurimos poſſeſſoribus ſuis acquirant. Id quod in militia maxime obſeruamus, quam honos, & praemia, ut ceteras artes, ſemper aluerunt. Conſaluus igitur dona primarijs ducibus partitus dicitur. Ioanni Cardonae, Antonio Leuae, Proſpero, & Fabricio Columnae, Bartholomaeo Aluiano, Temeram, ſiue Tampſam, inſigne caſtrum, apud Calabros, dono dedit. Horum munerum diſtributionem, ſub feudi nomine, mox Rex Catholicus confirmauit. Apud quem, & Gallorum Regem, tertius conuiua Sauonae in Liguria ab ipſo Lodouico, Galliae Rege, poſt maximum laudum cumulum, aureo torque, e collo Regio in eius ceruicem iniecto, donatus eſt. Dux ſane pluribus nominibus clarus: ſed eo maxime gratias illi ingentes habere debet Italia, quod per eum a Tyranno ſaeuiſſimo liberata eſt. Nam emiſſum Caeſarem Borgiam e mole Hadriani, elapſumq. ab Oſtia Neapolim properantem comprehendit, atque in Hiſpaniam captiuum miſit. Idem, cum ſe triennio poſt funibus e carcere deieciſſet, glande traiectus, nuduſq. uili iumento impoſitus, pendentibus hinc brachiis, inde cruribus, dignum factis exitum habuit. Is, longe poſt, duplicis quar-

tanae

tānae morbo correptus, traducitur a Loxa Granatam, ubi ſexageſimo ſecundo aetatis Anno, in uxoris, Heluiraeq. filiae complexu, ſuſceptis Chriſtianae diſciplinae ſacramentis, conſpirauit, poſtridie Kal. Decembris, a partu Virginis ſupra Milleſimum quingenteſimum decimum quinctum. Ad tumulum ſtetiſſe ferunt ſupra centum uexilla, magnorum procerum ſpectante, obſtupenteq. comitatu.

ERASMVS · GATTAMELATA NARNIENSIS.

GATTAMELATA, Narniae, nobili Vrbe, in antiquis Sabinis, quae ſemper aluit Viros fortiſſimos, natus, Eraſmus antea dictus eſt. Is, belli ſtratagematū peritiſſimus, ex Braccij ſchola, per omnes militiae gradus, uitam ſibi ad immortalitatem, paucorum tritam pedibus, fecit. Hunc ita Braccius adamauit, ut inſignibus, ac liciniae ſuae coloribus, honoris ergo, & amoris monumento, donauerit. Quo ad Aquilam, quae ex Amiterninis reliquiis cōſtructa eſt, defuncto, Gattamelata, pecunia redemptus, ſe ad Nicolaum Picininum tranſtulit, quem ſororis Braccij filium diu ſecutus eſt. Quod exēplum plurimi imitati ſunt, qui ex eius caſtris, tamquam ex equo Troiano, prodierant. Verum inter omnes unius eluxit gloria militis Narnienſis, qui, rebus fortiter geſtis, ſupremum militaris Imperij decus adeptus eſt: ut tritum illud prouerbium confirmaret: Quemque eſſe fortunae ſuae artificem. Et certe uirtus eiuſmodi eſt, ut, nullo duce, ſibi uiam etiam per inuia loca ſternat. Itaque, eius nominis fama peruulgata, per Italiae regiones, Veneti, eum ad ſe accerſitum ornarunt. In ſuſcepto militiae munere Gattamelata cum ea Reſpub. polleret opibus, Fabij Max. exemplo, in proeliis ſibi cunctandum, diſſimulandumq. putauit. Illud uero praeclarum, cum ab exercitu Vicecomitum imparatus, & longe copiis inferior fuiſſet deprehenſus, Atheſim amnem uado tranare ſuos iuſſit, dum interim ipſe, alienae ſalutis magis, quam ſuae, ratione habita, quaſi alter Cocles, impetum hoſtium ſuſtinens, ultimus omnium traieciſſet. Poſt Gonzagam Gattamelata Dux totius exercitus renuntiatus, loca, quae Picininus occupauerat, Venetae Reip. reſtituit. Bergomenſem, ac Veronenſem agrum ingreſſus, quaſi Leo ferociſſimus, omnia ferro uaſtat; hoſtium eluſis inſidiis. Cum uero Gonzaga ſe ad Picininum adiunxiſſet, licet minoribus copiis, certare coactus, a matutino crepuſculo ad ueſperam uſque ita ſe glorioſe geſſit, ut aequo Marte continenter pugnatum fuerit. Inde Veronam contendit, ac per Tridentinos ſaltus intercluſos aditus perrupit, ac penetrauit. Hic, poſt-

quam

quam hiemauerat, occaſionem exſpectabat aggrediundi hoſtis; ac, Brixia, Bergomo, Verona, ac Cremona, Philippo Vicecomiti ademptis, Venetam Remp. quam ſemper, per ſe maximam, ditat, & auget. Id habet cum paucis commune dux noſter. Porro huic illuſtre exemplum dederat Gentilis Leoniſſanus, in antiquis Sabinis, item, uix uigeſimo lapide a Narnia, natus. ut Albertus Hortinus, ac ceteri ſilentio praetereantur, qui in uicinia noſtra florentiſſimam illam Remp. defenderunt. Gentilis certe, ſingulari fide, ac clementia praeſtans, ſupremum militare decus eſt conſecutus. Quo in munere obeundo ſagittae ictu Brixiano in bello genu percuſſus; maluit in ea gubernatione pro Venetis occumbere, ſecto crure, eius Imperij propugnationem, ac illuſtre munus deponere. At Alexander uere Magnus, ſimili in periculo conſtitutus, inſigne fortitudinis reliquit exemplum. Ex eo bello, cui, qui poſtea regnauit, Ptolemaeum affuiſſe, auctor eſt Clitarchus, & Timagenes, Alexāder uulneratus, in tabernacula relatus fuerat. Medici lignum haſtae, corpori infixum, ita, ne ſpiculum moueretur, abſcindunt. Corpore deinde nudato, animaduertunt medici, hamum ineſſe telo, nec aliter id ſine pernicie corporis extrahi poſſe, quam ut ſecando uulnus augerent. Ceterum, ne ſecantes profluuium ſanguinis occuparet, uerebantur, quippe qui ingens telum adactum erat, & penetraſſe in uiſcera uidebatur. Critobolus, inter medicos artis eximiae, ſed in tanto periculo territus, manus admouere metuebat. Lacrymātem eum, ac ſolicitudine propemodum exſanguem, Rex conſpexerat. Quid? inquit, quodue tempus exſpectas? & quam primum hoc dolore me ſaltem moriturū liberas? An times, ne reus ſis, cum inſanabile uulnus acceperimus? At Critobolus, tandem, uel finito, uel diſſimulato metu, hortari eum coepit, ut ſe continendum praeberet, dum ſpiculum euelleret. Etiam leuem corporis motum noxium fore. Rex, cum affirmaſſet, nihil opus eſſe iis, qui ſemet continerent, ſicut praeceptum erat, ſine motu praebuit corpus. Igitur patefactum latius uulnus, & ſpiculum euulſum eſt. Verum ad Narnienſem Ducem reuertamur. Hic enim Venetae Reip. clariſſimae maxima fide imperium non modo tutatus eſt ſemper, ſed etiam propagauit. Porro ad Venetorum fines uetus illa Aquileia eſt, per quam Gattamelata excurrens latius plurima praeclare geſſit, quae ſponte praetereo. Itaque, digreſſio-

greſſionem repetens, referam quiddam, ab antiquiſſimis uſque temporibus accerſitum, pro ſuſcepto inſtituto breuius, ut, qui has noſtras narrationes legent, ſi qui forte fuerint, inter nouas hiſtorias habeant aliquid ueteri hiſtoriae admiſtum non plane uulgare. Attila, Aquileiam ciuitatem, in ipſo Italiae ſitam ingreſſu, expugnare aggreſſus, adhibitis machinis, tormentiſque, adhortabatur ſuos ad expugnationem. Erat in ea ciuitate feminarum nobiliſſima, Dugna nomine, forma quidem eximia, ſed candore pudicitiae illuſtris. Haec, dum domicilium ſupra ipſa Vrbis moenia haberet, turremq. excelſam ſuae domui imminentem, ſub qua Natiſſa fluuius uitreis labebatur fluentis, ne ſordidiſſimis hoſtibus ludibrium fieret, animaeq. pulchritudinem uelut illata libidine uitiaret, mox, ut ingreſſum hoſtium, captamq. urbem praeſenſit, e ſumma ſe eadem turre obuoluto capite in gurgitem praecipitem dedit, metumq. amittendae pudicitiae memorabili exitu terminauit. Gattamelata, ut cum Duce noſtro, ut coeperamus, tandem concludamus, duriſſimae hiemis frigoribus, ad Benacum, ſub Alpibus, paralyſi contracta, pro florentiſſima Rep. exſtinctus, in Antonianum templum, Patauij, militum humeris tollitur, erecta ibidem equeſtri ex aere ſtatua, circa an. Milleſimũ quadringenteſimũ quadrageſimũ ſecundum. Poſt ipſum enim Michael Codognola ſuffectus eſt imperator.

FARINATA . VBERTVS

FLORENTINVS

FARINATA, ueteri familia Vbertorum,propria potiſsimum uirtute clarus, maiorum ſuorum mirum in modum auxit ornamenta.Is,temporibus illis infauſtis, concertantibus Guelfis, ac Gibellinis,natus,occaſionem arripuit ex domeſtica pugna, ut militiam profiteretur. Inter hos de ſumma rerum agebatur. Guelfi Pontificis, Gibellini Imperatoris partes ſequebantur. Florentini plerique Guelfi erant; tamen inter eos non nulli Gibellinae factioni ſtudebant. Inter hos Farinata,uir grauiſſimus,ac conſilio maxime pollens, patria cedere coactus eſt. Domus ſolo aequatur: hoſtis declaratur: ignis,& aqua indicitur. Tunc forte Senenſes Gibellinis adhaeſerant: a quibus omni humanitatis officio exceptus, cuius artificio ſperarent uicinum,atque aemulum hoſtẽ domare. Id ita plane,ut conceperant, euentum probaſſe, narrabimus. Dum enim haec aguntur, oblati equites cataphracti a Manfredo, Neapolitanorum Rege,ſub Aquilae uexillo recipiuntur a Senenſibus, eo aſtu,ut,ſi ſuperior hoſtis fuiſſet, Manfredus diminutas copias repararet. Fuerat auctor huius conſilij Farinata.Et uero Germani attriti,deiectum uexillum Regium, denique infeliciter res geſta. Itaque Manfredus ſignis Regiis ſuppetias dare coactus eſt. Aucti copiis Senenſes,hoſtem opprimere machinabantur. Guelfi,arbitrati Gibellinos ad Arbiae ripas caſtrametatos ſpe praedae,ignari tamen noui exercitus,unius Farinatae conſilio ad impar proelium traducuntur. Milleſimo ducenteſimo ſexageſimo anno reparationis humanae, Pridie Nonas Septẽbris, res adeo funeſta acta eſt, ut diu Arbia humano cruore perfuſa fluxerit. Similis plane clades Dario, extremo illo proelio ab Alexandro profligato,erecto trophaeo, & tantae uictoriae teſtimonio urbe in colle Alexandria, ac ſimul ipſius ſimulacro, unde loco impoſitum nomen,Seueri,Nigriq. militibus contigit, diſpari tamen euentu. Vtrimque enim ſub ueſperam parati ad pugnam conſtiterant: curis noctem totam inſomnem traxerant: Solis ortu du-

cibus

cibus hinc inde adhortantibus,incredibili alacritate incitabantur,quaſi de omni ſpe reliqua nouiſſimo illo congreſſu dimicaturi; ſed,ubi diu pugnatum acerrime, tāta edita ſtrages eſt,inquit Herodianus,Graecus hiſtoricus, ut flumina per eam planitiem decurrentia maiore aliquanto ſanguinis, quam aquarum, ui, in mare perrumperent. Redeo ad Etruriae calamitatem. Eo die peditum triginta millia,equitum quinque millia,cecidiſſe feruntur, eorum, qui ad rectam ſpem, ut ipſis uidebatur,uictoriae, militari ſtratagemate Vberti, adducti fuerant. Guelfi,qui Florentiae ſubſtiterant ad domeſticorum larium tutelam, ante ſibi fuga conſuluerunt,quam eo hoſtis accederet. Hic locus poſtulat, ut deploremus ueterem Vicedominorum familiam, inter quattuor illorum temporum Florentiae clariſſimas; quae,Guelforum partes ſecuta, tempori cedens,patrium ſolum deſeruit: quod idem de ſe, ſuiſq. ſaepe conqueritur Franciſcus Petrarca. Itaque in Inſubriam ſeceſſit honeſto titulo defenſionis partium Eccleſiaſticarum. Parmae primum conſtitit. Inde,partium,quae tunc uigebant,diſcordiis,Monticulum non longe tenuit, eamq. ditionem ſane diuitem,& uberem.Cōfirmationis eius diploma apud Petrum Antonium Vicedominum, Epiſcopum Auellinum, ſub annum Milleſimum tercenteſimum quadrageſimum tertium humanae ſalutis, eſſe audio. Hinc diuortia facta familiae. Alij in Picenum uenere,alij Regium,quod diſtat Parma lapides circiter XIII. Illi in Piceno caſtrum aedificarunt, cui nomen item Monticuli indiderunt,quod,malignitate temporum deletum, in coenobitarum hoſpitium tandem conceſſum eſt a Pellicano Maceratenſi,olim Vrbis Senatore, qui ſe eiuſdem familiae eſſe memorat. Verum hac de re alibi. Nos alio curſu contendimus.

Farinata Vbertus,ualido euectus equo, Florentiam uenit fugiente paſſim multitudine, magnoq. ubique fletu, clamoribusq. ciuium,ac mulierum,planctu miſerando,non potuit non patriae deplorare ſolitudinem. Ingreſſus Vrbem,& euerſa factione Guelfa,exclamare potuit,aliter,ac Scipio ille Africanus: Ingrata patria,etiam inuita habebis oſſa mea. Patriam ille,ut armis, ita conſilio tueri ſemper uoluit.Ipſa enim eſt,quae omnes omnium amores una complexa eſt.Non mirum, ſi plurimi, eius caritate adducti,non opes modo,ſed uitam ipſam profuderunt. Ad aquarum hiatum ex ſuperſtitioſo oraculo cum pretioſiſſimas gemmas,au-

riq. uim maximam conieciſſet Ancharus, Midae filius, quando nihil profecerat, patriae, quem ſalutis propriae amantior, in hāc ſententiam interpretatus oraculum, nihil eſſe, quod hnmanae uitae conferri poſſet, pretioſius, a parentis, uxoriſq. complexu in eā uoraginem, ut Calliſthenes in hiſtoria tradit, equo inſidens, ſe ſe dimiſit. Sic Praeneſtinus ciuis, cum a Sylla ſe ſeruatum intelligeret, ceteris interemptis, in numerum occiſorum recipi maluit, quam ſub patriae euerſore uiuere. Plenae ſunt hiſtoriae Deciis, & Horatiis. Farinata, una cum ceteris Gibellinae factionis, Florentiae patriae adminiſtratione ſuſcepta, de firmando ciuitatis ſtatu deliberabat. Plurimi, quia imminere bellum uideretur, & Guelfi nominis multitudinem diu ſe retenturos diffidebant, in eā ſententiam ibant, ut ciues omnes Florentini in propinquas Vrbes, in quibus maiores honores, quam Florētiae, habituri eſſent, demigrarent. Aſſurgens in concione Farinata, clara uoce, numquam ſe paſſurum dixit, ut ſe praeſente patria desereretur, pro qua tantum eſſet ſanguinis ſparſum, ac iterum uitam effundere eſſet paratus. In haec uerba concione dimiſſa, pluſquam ſe ipſum diligi a ſe patriam, oſtendit. Itaque, cum decretum de patria delenda ſuſtuliſſet, impetrauit, ut floreret adhuc nobiliſſima Etruriae ciuitas, ipſeq. ob egregiam erga patriam pietatem patriis uerſibus a Dante, eorum temporum Vate inſigni, ad perpetuam poſterorum memoriam celebraretur. Quamquam, ut de Scipione Africano dicebamus, cuius fuerat ſecutus ueſtigia, eiuſdem etiam exemplo id praemium a ciuibus ſuis eſt conſecutus, ut exſilio moreretur, circa an. a Chriſto nato Milleſimum ducenteſimum ſexageſimum quinctum.

FEDERICVS . FELTRIVS

FEDERICVS Feltrius, in ſcientia rei militaris uſque a teneris annis ſub Nicolao Picinino enutritus, in periculis fortitudine, in dubiis iudicio, in certis conſtantia, in conflictu acrimonia, in ipſa uictoria moderatione ita praeſtitit, ut poſſet cum tota antiquitate comparari. Nam, ut ego quidem certe exiſtimo, nõ maximi exercitus, ſummiq. apparatus, ſed numerus proeliorum totidem uictoriarum duces illuſtrat. Vt uero multa, quae ab aliis paſſim ſcripta ſunt, quod in ſingulis conati ſumus, ſpõte praetereamus, pauca dumtaxat attingemus. Federicus Florentinos protexit, iiſdemq. Othoniam, quam perperam alij Orthanam, in Etruria, Romanorum Coloniam, tumultuantem reſtituit. Hic ſub Pio Secundo Pont. Max. Picenum agrum paene deperditum poſtliminio repetiit, atque ita firmauit, ut eo poſteri maxima pace potirentur. Nulla aetas cõticeſcet, ut te ipſum alloquar, Federice, quanta rei militaris peritia maximum, ac fortiſſimum exercitum Sigiſmundi Pandulphi, ducis, ante te, inuicti, & in omni bellorum genere cum ſumma gloria uerſati, compreſſeris. Ille quidem, amiſſo patrio, auitoq. Regno, & illo quidem ampliſſimo, ita in anguſtias redactus fuerat, ut, ad clementiam confugiens, eam a te liberaliter impetrarit. Neque uero illud erit in poſtremis, cum eius filium Robertum, uirum ſtrenuum, non modo in paterno Regno excepiſti, ac fouiſti, ſed etiam nuptiis familiae tuae copularis. Non enim de Regno, aut uita, ſed de gloria dimicabas una, cum diſſidium ipſa uictoria terminarit. Quid dicam de Bartholomaeo Bergomate profligato? Hic totum fere terrarum orbẽ perterruerat. Principes, ac ciuitates liberae de rebus ſuis dubiae erant. Ipſa etiam Gallia, Germania, ac Illyria timebat maxime. Italia, quaſi diuinitus ſibi flagellum datum exiſtimans, uota numcupabat. Quo pertinerent innumerae illae equitum, peditumq. cohortes, ignari populi, uix intra domeſticos parietes tuti erant. Inter haec pericula populorum, unus fuit Federicus, qui, quaſi e caelo lapſus uideretur, titubantis Italiae animos ſingulari uirtute, ac prudentia confirmauit. Is, ſtratagemate uſus, in medio conflictu tormenta admo-

uit,

uit,quibus exercitum pugnae intentum plane diſsipauit.Quãob-
rem Bergomas, cui non ſatis Italia uideretur, adeo conterritus
eſt,ut, omni ſpe deiectus,non niſi de fuga cogitaret. Simili ratio-
ne Tifernates aliquando ad pacem traduxit. Narrabo rem pla-
ne,ut geſta eſt. Vbi Ferdinando Regi belli dux maximus,ac plu-
ribus rebus bene geſtis,operam ſuam nauauit, ad Pont.Max.Ro-
mam uenit, eo ipſo tempore, quo Tifernates in obſidione erãt.
Pontifex Federico omnia,tam pace, quam bello, componenda
credit. Ille uero,expedita manu, iuſtis itineribus, ad legatum
contendit. Erat hic Iulianus S.R.E. Cardinalis,Pontifici ex
ſorore nepos,uir magni animi, ac ſingularis religionis,manſuetu
dinis,atque integritatis. Vbi caſtra attigit Feltrius, luſtrare om-
nia coepit. Hoſtium praeſidiis exploratis, mox ad obſidionẽ Ca-
rolum Manfredum Fauentia, Conſtantium Sfortiam Piſauro,&
Robertum Malateſtam Arimino aduocat; cuius nomine libellus
ille de obſidione Tifernatum, uix incendiis bellorum reſtinctis,
in lucem editus,adhuc in tenebris iacens,lucem optare maxime
uideretur. Aduehuntur Vrbino,una cum cohortibus, tormenta
duo maxima,quibus Vrbis moenia quaterentur. Eo ipſo tempo-
re duo inuenta profecta a mortalibus feruntur, alterũ ad immor-
talitatem,& memoriam, quod Imprimẽdi arte continetur,quod
artificij genus, noſtris maioribus incognitum, non tam uigili
hominum cura, quam Diuino munere ex Germania effluxerat;
alterum ad uſum pertinebat maximorum tormentorum,quae pi-
las in orbem ductas,eaſdemq. marmoreas,librarum etiam quin-
gentarum,quae fulgura,aliaq. admiranda naturae opera, quae
uel in aere,uel in ſubterraneis locis admiramur,imitarentur. His
territi Tifernates, & conſilio potiſſimum ipſius Federici, qui, ut
amicitiam conciliaret,per Legatos,retulit,uniuerſam Italiam in
eos coniuraſſe. Eo denique eloquentiſſimus Imperator hoſtes
perduxit,ut opidanos in ueterem fidem,ac beneuolentiam attra
xerit,pacis condicionibus ipſius etiam manu obſignatis.Et certe,
ut in bello,ita in pace,clariſſimus fuit Federicus,non Martis mo
do,ſed Palladis etiam artibus inſtructiſſimus.Vates idem,& Ora
tor etiam,ea,quae in naturae ſinu latent, & omnium parens diſci
plinarum Philoſophia profitetur,ita explicabat,ut inter diſputa-
tiones grauiſsimorum uirorum, quae imitatione quadam dimi-
candi artem ſequuntur, plane in Philoſophorum exedris perpe-
tuo

tuo conſediſſe uideretur. Itaque, illuſtribus titulis, trophaeis, ſpoliisq. onuſtus, in patriam reuerſus, adamans pacis, Bibliothecam ornatiſsimam exſtruxit. Quam, dum haec cōmentaremur, Franciſcus Dux, auito ſuorum, ac Ptolemaei, & Gordiani exemplo, urget, ex omnibus terrarum partibus conquiſitis libris, illuſtrare. Sed de tanti Ducis laudibus, nec eſt inſtitutum hic ſcribere, nec defuturi ſunt Viri eloquentiſsimi, qui, ut de ceteris eius familiae Viris illuſtribus, ſic de eo uberioremm memoriam in monumentis ſuis referent. Ego ſane praeterire non poſſum carmen de aureo Vellere, quod ille Bononiae retulit I X. Kal. Octobris, Milleſimo quingenteſimo octuageſimo quincto, quod eo ipſo anno Tuſculi, inter ea opaca nemora, meditatus ſum, ſecutus Iacobum Sabellum, antiquum ſtudiorum meorum patronum:

Hoc uellus, gemmisq. nitens, auroq. rigenti,
Et clarum titulis, conſpicuumq. fide,
Rex, armis, & pace potens, tibi mittit Iberus,
Ornent ut quercum Martia dona Iouis.
Et tua Paeoniis ſociis eſt aemula uirtus,
Suntq. ſalo per te monſtra domanda ſolo.
Libera ſic uirides palmas tibi ſeruet Idumes,
Et Tagus auratas in mare uoluat aquas.

Federicus uero, e caſtris, aeger, Ferrariam delatus, iam plane ſenex, quaſi ſomnum ſuauiſſimum capiens, conquieuit, Milleſimo quadringenteſimo octuageſimo primo.

FEDERI-

FEDERICVS . GONZAGA

FEDERICVS Gonzaga, primus Dux, Franciſci Marchionis filius praeclaram indolem a primis annis praetulit. Et merito. Neque enim, ut inquit ille,

—— imbellem feroces
Progenerant Aquilae Columbam

Vt enim in arboribus ineſt plerumque uis ſeminum, ex quibus procreatae ſunt, ita etiam in hominibus fieri ſolet, ut fortes procreentur fortibus. Hic in ipſo adoleſcentiae flore Leoni X. Pont. Max. egregiam operam nauauit, creatus ab eo tum ſui, tum Florentini exercitus Imp. in Senarum oppugnatione. Tum uero in dies florens diſciplina militari, una cum Proſpero Columna, ac Ferdinando Piſcara, ad Niciam, Inſubriae fluuium, iunctis copiis, Parmam obſedit. Inde, aucto exercitu Mediolanum pro foederatis expugnat, fractis, fugatisq. Gallis; a quibus iterum ad Biocham glorioſam uictoriam retulit. Deinde ad Papiae defenſionem ad Gallorum impetum refringendum contendit, dum Proſper Columna, ac Ferdinādus Piſcara Laudem Pompeiam, Cremonam, ac Genuam ſibi ſubdunt. Ferdinandus Alarconus, qui, Caeſaris mandato, e Calabria Mediolanum per eos dies uenerat, ut peditum praefecturam gereret, donec Daualus aberat, Proſper aegrotans iniunxerat. Hic, bene gerendae rei ſtudioſus, ut hoſtem ab urbe ſummoueret, aggerem, effoſſa terra, & ex ceſpitibus trabibus, atque arborum ramis intextis in turris ſpeciē erigit, in cuius uertice area erat, ambitus pedū circiter ducētorū, quae a fronte cratibus terra oppletis, uallata tormentis, tormētis, ac peditibus collocandis ſpatiū relinquebat; atque ita aliquot dies Gallos crebris tormentorum ictibus infeſtans ex eis plurimos interfecit. Verum, cum id parum ad liberandam obſidione Vrbem, ut antea dicebamus, Proſpero uideretur, Principi Mantuano, qui ſe ad quaeque belli munia alacrem praebebat, iniungit, ut cum equitibus Pontificijs Papiam ſe conferat, ut inde uiatores, eoſque, qui annonam ad exercitum hoſtium deferebant, inſe ſtaret. Itaque Gallus iam timere coeperat, ne, a Mantuano, & ab ijs, qui Papiae erant, occupato ponte, quo Ticinū

e regione

e regione Vigleueni coniunxerat, commeatus paenuria laboraret, e Brigateis collibus, totoq. ſuperiore agro, tanta uis tritici, ac uini obſeſſorum ſaluti inuecta eſt, ut Ammiraldo nulla amplius potiundae urbis ſpes ſubeſſet, patefactis praeſertim inſidiis, & proditione Murgantis. Interea, Proſpero Columna defuncto, eiusq. loco ſuffecto Lanoia, Gallorum copias una cum Mantuano perſecutus, numquam ambo iunctis uiribus deſtiterunt, donec magna cum gloria contriti, ac penitus ab Italiae finibus terga uertentes, atque ad triarios redacti, ita, ut, qui ſuis nuntium affer ret, paene nullus eſſet relictus. Sic ſane exſtat in antiquis monu mentis: Dum a Romanis ſolueretur pretium mille pondo auri Gallis, & ab inſolēte eorum regulo Breano ponderi gladius adderetur, Camillus tot Gallos trucidauit, ut ne nuntius quidem cladis relictus fuiſſe uideretur. Eorum Gallorum uetus memoria, & arentia oſſa, & nomen, in Hortino, ad Naris fauces, manſiſſe dicitur. Porro hic Brennus, Britannus fuit natione. Non ſatis erat Gallis, uaſtaſſe Italiam, ac Rauennates uictos uiciſſe, niſi etiam pertinacius ſubiectos inſequerentur. Sunt plurima in Gonzaga, eaq. ſingularia fortitudinis argumenta, hiſtoriarum monumentis conſignata. Sed, &, quae humanitatis plena reliquit, praeteriri ſilentio nullo modo poſſunt. Quae ut in ea familia nata, altaq. ſunt, ita in hoc Federico praecipue enituerunt. Gobrias, cum Cyro dixiſſet, praeſtare quidem ipſum re militari, ſed multo magis humanitate: Per Iouem, inquit Cyrus, multo mihi eſt iucundius, humanitatis, quam rei bellicae opera demon ſtrare. Cleomenes, Rex, adeo humanus fuit, ut nullum Regium apparatum ſecum habuerit, non ianitores, non ſatellites; ſed, breui tunica amictus, ultro adiens ad ſe uenientes, petentibus co miter, benigneq. reſpondens, ſumma humanitate, & loqui, & au dire paratus. Ac Alexander Seuerus Dominum ſe appellari uetuit, epiſtolas ad ſe tamquam ad priuatum ſcribi iuſſit; ſeruato tamen nomine Imp. Item adorari ſe prohibuit, cum iam coepiſſet adorari Heliogabalus, more Regum Perſarum. At Federicus Carolum V. Imp. aetatis noſtrae unicum Caeſarem, Pannonia, e Solymani claſſe fugata, uictorem redeuntem, Mantuae incredibili munificentia excepit. Hic ego non exprimam coloribus apparatum; ut in ingreſſu magiſtratus omnes ſuo ordine obuiam prodierint, ut umbella aurea exceperint Imperatorem,

 ut plebs

ut plebs laetis acclamationibus circumfuſa ſummos honores detulerit. Mirabatur populus externorum cultum, equitum agmina, phalangesq. Heluetias, & ad tormenta aenea traſuecta curribus maxime ſtupebat. Dies gratiſſima Mantuanis notata in faſtis. Hoc tempore primum Dux creatus Federicus, quem Imperator noſſet & hoc nomine, & maioribus inſignibus digniſſimum. A etate, poſt, licet ad arma aptiſſima, arma depoſuit, Diuina praemia, miles emeritus, reportaturus ab eo, qui nos mortales inuiſerat, ſupra annum Milleſimum quingenteſimum quadrageſimum.

FER-

FERDINANDVS
REX. CATHOLICVS

FERDINANDVS, Aragoniae Rex, ob egregia pro religione ſuſcepta opera, ac cultam uitae ſanctitatem, Catholicus eſt nuncupatus. Vxorem duxit Caſtiliae Regis ſororem; qua uita functa, Luſitaniae Rex pro uiribus conabatur neptem ſceptro augere. Sed Ferdinandi in hac contentione uirtus praeſtitit. Nã, poſt plurima geſta bella, atque utrimque factas copias, qua parte uetus Numãtia celebrata eſt, in primis Ferdinandi decus eluxit. Poſtea, una cum Iſabella coniuge, ad bellum Baeticum contendit; in quo pluribus annis acriter dimicauit. Caſtris aliquot, urbibusq. ſubactis, tandem Granatã, quae Vrbs primaria toti illi regioni nomen dedit, & a ueteribus Munelepla dicta eſt, menſibus octo obſeſſam, capit. Hanc Vrbẽ quinquaginta millibus peditum, & decem millibus equitum ingreſſus fuiſſe dicitur, triumphantium more. Magna auri ui deportata, Regem Regia longius in Hiſpaniae finibus continuit, & dignitate Regia fouit. Ab hoc tempore Hiſpania, quae ante annos octingentos a Mauris tenebatur, uerae pietati reſtituta eſt. Inſignis uero uictoria, in qua non modo barbari, ſed ſe ipſos milites Hiſpani uicere. Referunt, in tam longa obſidione milites mulierum adſpectum ita abhorruiſſe, ut nec una quidem uiſa ſit, quae egregios militum conatus, uel leuiter tentarit. Temperantia, una cupiditatum moderatrix, in libidinem, atque alios non rectos impetus animi, firmus, ac moderatus dominatus eſt. Haec exhibet robur, alacritatem, ac ſtabilem auctoritatem comparat. Hanc quidam recte, & officioſe Viuendi unicam rationem uocant. In quo maior militum laus fuit, quod ſoluti, ac longe lateq. caſtris diffuſi ita uixerunt, quaſi intra ſaepta coenobiorũ agere uiderentur. Refert Vopiſcus, Aurelianum Imperatorem, ut uindicaret militis cum hoſpita adulterium, duarum arborum capita primũ inflexiſſe pedibus abligatis: quas cum ferri ſuo impetu dimiſiſſet, illa utrimque pendens exemplo publicae diſciplinae poſteris eſſet, & ſuis. Alexander Seuerus militarem diſciplinam ſeuere etiã

rexit. Ad Perſicum bellum profecturus, totam legionem exauctorauit, qui apud Daphnem in Syria milites illecebris uoluptatibus indulſiſſe intellexiſſet; ac non deſtitit, donec in tribunos acriter etiam animaduertit. Cum ad Alexandrum Magnum delatum eſſet, mercenariorum quorundam militũ uxores a Damone, & à Timótheo, Macedonibus, qui ſub Parmenione merebãt, conſtupratas, Parmenioni per litteras mandauit, ſi rei manifeſti criminis forent, ut eos, tamquam belluas, ad hominum corruptelas natos, morte multaret. Ac de ſemetipſo in hac epiſtola ad uerbum adſcripſit: Ego enim non ſolum non uidiſſe inueniar Darij uxorem, aut uidere cogitaſſe, uerum nec uerba facientes de eius decore ſuſtinuiſſe audire. Nullus eſſet huius generis exẽplorum finis. Et quidem commemoratio & utilis, nec in opportuna in hoc genere Elógiorum: in quo hanc rationem ſecuti ſumus, ut ex rebus praeclare geſtis non tam doctiores, quam meliores, uideamur. Ferdinandus, Baetica expeditione triumpho reportato, miſit Magnum Conſaluum aduerſus Turcas; quo duce, incredibile eſt, quantum retulerit commodi Reſp. Veneta. Hic eſt ille Conſaluus, qui, cum mirum in modũ Hiſpano Regnum auxiſſet, tabulas expenſi proferre coactus, maleuolorũ perfidia, exhibuit, pro parta uictoria, Dei Opt. Max. Sanctorumq. aris tantum, ut accepti tabulas longe ſuperarent. Impoſuit petitioni ſilentium Ferdinandus Rex, non modo in priuatos homines, ſed etiam in omnes. Pontifici certe Iulio Secundo opem tulit in rumoribus Rauennatum, ad quem locum aduerſus Gallos Cardonium trãſmiſit, exercitus uniuerſi magiſtrum, quo tẽpore Aemilia S.R.E. eſt reſtituta, neque umquam defuit aliis, qui ſecuti ſunt, beneuolentiae ſuae argumenta liberaliter exhibere, maximis ſemper propoſitis in rem Chriſtianam, explicatiſq. militum copiis. Rebus praeclare geſtis, titulis inſignis, ad meliorem uitam uocatur, annum agens ſexageſimum quartum, ab accepta ſalute Milleſimo quingenteſimo decimo ſexto.

FER-

FERDINANDVS . AVALVS
P I S C A R A

FERDINANDVS Piſcarius, Dauala, clariſſima familia, in ulteriore Hiſpania, Neapoli, ex Cardoniae parentis utero, tenui membrana, ueſtem peramplam, quaſi paludamentum, in militis morem, deferens, hereditariam maiorũ ſuorum in armis gloriam mirifice auxit. Verſatus eſt adoleſcens in paternis opidis, quae partim in Ferentinis, & Samnio, partim in Campania, & Picentinis erant: quibus in locis ſollerti ingenio, ac ſingulari moderatione, ius ſuis dicens, Regio apparatu nuptias cum Victoria Columna celebrauit; quam ſibi trimam adhuc & ipſe infans deſponderat. Haec ut nomine auſpicium dedit, ita litterarum cognitione, editisq. in lucem libris, ſuper ſexum dotalia munera longe ſuperauit. Hoc tempore Lodouicus Rex Gallus Italiae Imperium affectare uidebatur. Nam, ſubactis Mediolanenſibus, ac Liguribus, praeterea Venetis ingẽti proelio ſuperatis, Bononiam quoque Pontificiae ditionis occupauerat. Piſcarius, accepto ſago, in ipſa pubertate, totius leuis armaturae equitum praefectus eligitur. Quo munere, nemo eſt, ueteri ſymbolo, Spartiae matris, AVT . HOC . AVT . IN HOC. De cuius Lacenae ſeueritate, ſic ego cecini aliquando; ſi licet grauiſſimi ducis factis haec leuiora admiſcere:

Obuia ubi natum Spartana adſpexit inermem,
Iniuſſumq. fuga deſeruiſſe locum,
Aggreditur, ferroq. premens: Mentite, parentes,
Tu ne, ait, ad Stygias ibis, inultus, aquas?

Hi, qui ſcutum in bello amiſiſſent, Athenis infames, & ῥιψάσπιδες dicebantur, ut ab Aeſchine Demoſthenes, & ab Ariſtophane Cleonymus. Qui hoc faceret Spartanus, occidebatur. quare matres liberos ſuos in bellum proficiſcentes acriter admonebãt, in patriam, aut cum ſcuto, aut ſupra ſcutum redirent. quod idem apud Germanos retentum, apud quos, qui ſcutum in bello amiſerit, infamis eſt, nec ſacra adire poterat, nec concilium. Piſcarius in Rauennatum bello ſane infauſto bis circumfuſorũ hoſtiũ,

multis

multis acceptis,illatisq. uulneribus erupit; in quo tamen uetera-
ni duces,quorum exempla imitari oportuit, multa aduerſa tule-
runt. Efferbuerat adoleſcentis animus hoſtium ſanguini: & uix
quidem abripi potuit Placidij Sangrij conſilio, ut ſe maioribus
proeliis reſeruaret. Relictus fuerat inter congeſta cadauera,orna
tiſſimis ſpoliis detractis,cum a Gallis Gregariis equitibus ad Fe
dericum Sanſeuerinũ Cardinalem delatus. Recreauit in primis
adoleſcentem Fabricij Columnae ſoceri adſpectus. Deducitur
Mediolanum in funere Campſonis Friſeij captiuus Piſcarius,
una cum Ioãne Medice,Cardinali,eodemq. Legato, qui,non dũ
uertente anno,Pontifex poſtea eſt renuntiatus.Hinc libertati re-
ſtitutus plurima geſſit. Quo tempore pugnatum eſt ab Equitatu
Veneto cum Caeſarianis. ex Venetis cecidiſſe ferunt circiter ſe-
ptem millia, deſideratis ex ala Colũnae Eberardo Corneo ſigni-
fero,domo Peruſia,ac Camillo Maximo Romano. Piſcarius in
ipſa uictoriae gratulatione indoluit Italorum caſum, quos unice
adamabat. In expugnatione uero Genuenſi ad Daualum ciuium
Genuenſium nomine Oratores mittuntur, cui ea tota prouincia
fuerat demandata. Erat enim is magni conſilij, & ſingularis elo
quentiae: quae duo in duce praecipua ſunt. Antonius Orator im-
miſſos a Mario ad eum interficiendũ milites dicendi copia adeo
demulſit,ut eorum nemo ei uim inferre auderet. Nimirum admi
rabilis quaedã uis eſt orationis. Haec animos flectit, diſtractisq.
in diuerſas partes animis,quo uult,homines pertrahit.Interea Vi
ualdo ex Genuenſibus ad rem componendam intento, attollun-
tur a cohortibus ſigna, peditesq. qua primum occeperant, inua-
dunt. Daualus,dimiſſa concione,uerſatur inter primos; ac,muri
parte occupata,ingreſſus, ſuos, qui temere progredi uidebantur,
ſubſiſtere imperat. Admonet praeterea Proſperum de uictoria,
qui cum reliquo exercitu ciuitatem iam captam ſubiret. Mox,
ſuis in unum collectis,praecipit,ut ordinibus ſeruatis procedant.
Fit fuga undique ab ijs, qui in praeſidiis erant. nemo eſt, qui au-
deat ſe ipſum defendere. Ipſe Antiſtes Salernitanus cum Cen-
turione,qui Praetorium cuſtodiebat magno militum, ac ciuium
comitatu,naui conſcenſa,Maſſiliam nauigat. Octauianus Fulgo-
ſus,eius frater,quod in lectulo aeger decumberet, cum praetorij
fores occludi mandaſſet,mittit e ſuis unum,qui e feneſtra nuntiet
hoſti,ſe in Ferdinandi Dauali poteſtatem uenturum. Capta Vr-
be,

be,in qua tantum erat praedae,quantum uis hoſtis optare potuiſ ſet,mãdatur edicto,ut ne quis e ciuibus captiuus fiat, utq. modus uictoribus imponeretur,e ciuitate educto exercitu,uetere illo ingenti,atque admirabili Smaragdo, qui in ſacrario templi maximi cuſtodiebatur, ceteriſq. piis locis religioſe ſeruatis. Ingemuit Daualus Genuenſium calamitatem. Interea Proſper Columna, grauiſſimi ducis fama relicta, inter Inſubrum lacrymas exſpirãte, Carolus Lanoius,ac Piſaurus exercitum accipiunt. Imperatoris munia pluribus in proeliis praeclare exſecutus,ne, quae in mani bus omnium ſunt, ſingula proſequamur; ut illi uitae, ita nos rerũ geſtarum curſum praecidentes, dum Mediolani diligentem nauat operam, ut a Franciſco Sfortia arcis deditionem exprimat, corpore tabe confecto, ex longis laboribus accedente, aſſidua aquae ſiti in medio flore aetatis exſtinctus eſt. Vrgente morbo, Victoria Columna,coniux,Mediolanum accerſita, cum ſubito ſe itineri dediſſet, Viterbij nuntio de Viri obitu exanimata,non au ſa,aut ulterius progredi, aut Romam regredi,in ſacrarum Virginum coenobium ſeſe perpetuo abdidit. Quae Vrbs compluribus eius generis ſacris locis illuſtris uicinitate locorum omni tempore patriae meae & quidẽ affines puellas aluit, pietate claras, quae, relictis rerum humanarum curis,quibus nos ſtulti nimium torquemur, in eo receſſu ſuauiſſimo felicẽ, ac beatam uitam ſecutae ſunt. Piſcario Mediolani funus ducitur Pridie Kal.Decemb. anno a Virginis partu Quingenteſimo uigeſimo quincto, ſupra Milleſimum. Non multo poſt Neapolim elatum cadauer in templo S. Dominici conditum eſt ad áram maximam.

FER-

FERDINANDVS CORTESIVS

FERDINANDVS Corteſius, clariſſimum alterius Heſperiae ſidus,latentes antipodum ſedes,qui nos plantis ſuis urgere dicuntur, luſtrauit. Is,Occidentem uerſus, Columbum Ligurem ſecutus, curſumq. dirigens, ad abdita, & maioribus noſtris incognita regna, Mexicanam uſque penetrauit. Ad quod iter ſuſcipiendum mouebatur fortis, ac pius dux, eo maxime,quod nullus ijs in regionibus uero Deo cultus tribueretur. Hinc Druydas primum emerſiſſe ferunt, qui poſt in Britanniam ſeceſſerũt; atque inde,ut ſcribit Caeſar libró VI. belli Gallici,in Galliam, ſuperſtitionis plenam, diſciplinam tranſtulerunr. Hi multa de ſideribus, atque eorum motu,de mũdo,ac terrae magnitudine, de rerum natura, de Deorum immortalium ui, ac poteſtate, diſputare,ác iuuenturi tradere credebantur. Nihil uero,dum haec agunt,litteris mandant, quod neque in uulgum diſciplinam efferri uelint,&,ne,qui diſcunt, litteris confiſi,minus memoriae ſtudeant,quod fere pleriſque accidit,ut praeſidio litterarum diligentiam in perdiſcendo,ac memoriam remittant. Audiuerat praeterea Corteſius, Mexicanam prouinciam incoli ab hominibus,& ſtudio litterarum claris, & uario artificio inſignibus,qui,inter cetera,more noſtro, aedificia illuſtria erigerent marmoribus caelatis, eademq. picturis exornarent. Cum ad haec loca appuliſſet, ubi inter ſe decertare eos populos audijt,eo ſe facilius in ea regna penetrare poſſe ſperabat, ſi alteri parti operam ſuam polliceretur. Neque uero hominem deterruit exiguus ſuorum numerus. Procedebat barbarorum exercitus: ſequebantur Hiſpani milites: humeris deportabantur neceſſaria ad uictum,ac commeatum, more ueterum Romanorum: denique trahebantur tormenta bellica. Vbi uentum eſt ad pugnam, monſtri ſimile eſſe putabant,quod homines equis inſiderent, Cẽtauros eos exiſtimantes, uel nouum monſtri genus. Id ut ſibi perſuaſerint,facile ex eo adducimur,quod locũ fabulae apud Theſſaliae Regem olim praebuerit. Lapithae enim primi equitem do-

cuere ſub armis reſultare ſolo. Quamquam illud erat apud eas gentes maioris admirationis,quod tormenta bellica quaſi e caelo emiſſa fulmina uiderentur. Itaque,parta uictoria, auctisq. copiis,Corteſius admouit ea inſtrumenta Temiſtitanae Vrbi,undique pernauigabili, & Venetae, ut ferunt, plane ſimillimae. In hoc conflictu,non nullis barbaris deſideratis, Rege, quem deditionis paenituerat,interempto,Corteſius,ut uices eius ageret, cõclamatus eſt.Themiſtitano in foro Regiam ad ius dicendum exaedificat. Hinc ad ſpargenda ſemina religionis concurſus, pro qua una tantum ſuſceperat incõmodi, breui coepta barbarorum tẽpla per ſacerdotes expiari,cruces erigi,uero Deo aras,aedesq. dicari,ſalutari aqua luſtrari, ſacras conciones haberi, ſacra fieri. Vide, quantum ab homine uno liceat ſperare. Hoc praeclaro conſilio non modo a Caeſare uix poſt ſeptennium illuſtri titulo donatus eſt, ſed a Deo Opt. ea praemia conſequi meruit, quorũ fructus in dies augeri pro uerae religionis propagatione in ea bonis omnibus affluente patria uidet. Et uero in hoc eodem pietatis ſtudio, diuerſis tamen itineribus, praeteriri non debet Societas Ieſu, quae ita in Orientis potiſſimum partes diffuſa eſt ut etiam ciuem Hortinum, Albertum nomine, ſtudiis paene parem, domicilio, ac beneuolentia coniunctum, abſtraxerit a parentis ſinu,adoleſcentem,cuius litteras ad ſuos, ex remotiſſimis illis regionibus, pietatis plenas, complures, legimus. Verum inter omnes Xauerius inſignis fuit, qui a Deipara Virgine, Milleſimo quingenteſimo quadrageſimo primo Vlyſippone ſoluens, ubi Goam attigit, nihil prius habuit, quam eam gentem, rudem ſane in diuino cultu, Chriſtianis praeceptis imbuere, atque ad omnia pietatis opera traducere. Eum indigenae,ueluti Heroem, uenerabantur. Porro,is in eo munere Diuinam maieſtatem ita liberalem expertus eſt,ut,pluribus ad Remp. Chriſtianam aggregatis, eximium ſanctitatis nomen moriens, uiuensq. reliquerit. Huius Diuini hominis res geſtas,ut ceterorum, inſignis eloquentiae magiſter Maffaeus ſtylo eſt perſecutus. Ego uero carmine aliquando quiddam conatus fueram eo poemate cuius initium erat:

Tu quoque, Xaueri, noſtro celebrabere uerſu,
Inſuetos tentare ſinus, qui primus Eoi
Auſus, & ignaris oſtendere ſigna ſalutis.

Reuertor ad Corteſium: cuius ut in armis eluxit uirtus, ita in horum clarorum Virorum numerum adſcriptus eſt. Incogniti ſoli efferis gentibus, & antropophagis Ferdinandi diligentia expiatis, altero & prope immenſo terrarum orbe pernauigato, tantum auri, gemmarumq. allatum eſt in Hiſpaniam, ad publica priuataq. opera, quantum Europa nuſquam uiderat, ſubactis fere totius Indiae Regibus, uel certe conterritis. Is, qui tam longe fuerat uagatus, non dum plane ſenex, anguſtiſs. tumulo clauditur, CIϽ IϽ XLII. de quo ego ſic:

Fernandum tumulus tegit hic, quo ſoſpite tellus
Extrema intremuit, Phoebus & erubuit.
Illa quidem emenſa eſt; hic, dum ſubmergitur undis,
Audax miratur trans freta nauis iter.
At maris & terrae fines ſuperantis honores
Nulla dies claudet, nullaq. claudet humus.

FERDINANDVS · GONZAGA.

MEL. PRINCEPS.

FERDINANDVS Gonzaga, Franciſco II. Mantuae Marchione, & Iſabella Ateſtina, Herculis I. Ferrariae Ducis Filia, naſcitur. Is, uſque ad decimum ſeptimum aetatis annum in domeſtica cura educatus, galeam ferre, cum lorica incedere, clypeo uti, iaculum iacere, enſem tractare, modo peditem, modo equitem agere, & huius generis militaria munera ita didicerat, ut eo nemo alacrius haſta cum cataphractis equitibus concurreret. Et uero, ut ea ferebat iuuenilis aetas, & opum uis, licet in his, & ſimilibus exercitationibus uerſaretur liberius, in otio tamen ſe eſſe exiſtimans, coepit de finibus bonorũ, ac malorum ſecum cogitare. Iter in primis Lauretum parat, qui in B. Virginis precibus praeſidium ſuum poſuiſſet. Vbi cum collem fortunatiſſimum conſcendit, atque ad conſpectum Sacratiſſimae aedis uentum eſt, incredibilem cepit animo uoluptatem. Non poterat adoleſcens a ſacris illis poſtibus diuelli, allectus ſuauitate loci, in ueteres eos parietes, Chriſti infantis manibus tractatos, oſcula, ac lumina defigebat uenerabundus. Inde Mantuam reuertitur, atque in ipſo itinere ſecanti maris Hadriatici litora ea altius in animum incidit cogitatio, ut tandem de ſe ipſo ſtatueret. Re cum paucis communicata, recedere ſtatuit a patriis deliciis, & ad exteras cogitare regiones, in quibus utilius, quod ſequebatur, aetatis reliquum impenderet. Itaque pluribus, iiſq. nobilitate digniſſimis artibus inſtitutus, ex matris conſilio, cuius erat in rebus agendis iudicium acre, ad Carolum Quinctum in Hiſpaniam mittitur Milleſimo quingenteſimo uigeſimo tertio. Accepta quamprimum, in ea regione, & Hiſpana, & Gallica lingua, apud eas gentes, quaſi patrio idiomate, expedite utraque utebatur. Is, Caeſari aetate paene par, in dies officia, & obſequia augebat; quibus ille addebat amoris incrementa. Excitabatur uero maxime Regia diſciplina, ut, quod de Themiſtocle legimus, cui uel ſola Miltiadis trophaea ſom-

num adimebant, ita Ferdinandus, in uiuum exemplum intentus, magnis pugnae ſimulacris, ad ueram, ac ſolidam gloriam accendebatur. Itaque non modo ſummorum Virorum beneuolentia, ſed in primis ipſius Caeſaris collecta gratia, ſpem certiſſimam dabat, fore, ut egregius Imperator exſiſteret. Triennio apud Caeſarem poſito, quo cum familiariter eo toto tempore uixerat, cum id ipſe cupidiſſime peteret, geſtiens iam dudum cum hoſtibus in puluere uim ſuam experiri, in Italiam mittitur, eo tempore, quo Borbonius cum Caeſarianis copiis ad Regium Lepidi conſederat. Hanc prouinciam aegre ſuſcipit Ferdinandus, licet ad arma alacritate maxima prodiret; quod is eius Vrbis ruinam machinaretur, quam & ipſe parentem, & omnes gentes agnoſcerent, ac uenerarentur. Ex eo tamen fructum retulit uberrimum, ut cum parente Iſabella ad radices Quirinalis ſeruata prope Thermas Conſtantini, Romanarum quoque matronarum, ac Virginum nobiliſſimarum, patrocinio ſuſcepto, ad Romanam direptionem, quaſi quoddam praeſidium, acceſſiſſe uideretur. Flos hic Romanae nobilitatis ſeruatus eſt ſingulari pietate, ac ſtudio Ferdinandi, cui merito, non modo qui praeſentes fuere, grati eſſe debent, ex armatorum impetu erepti; nec ſolum uertere coacti, nec in triumphum in exteras regiones ducti; ſed poſteri maxime, qui & totum & uitam tanto duci debent uni. Quo tempore cum matronae illae armillas, aureos torques, & omne genus ornamentorum in galeas inijcerent, trepidantes, repudiauit ille munus omne, qui ſe quidem pro rei neceſſitate, quod debuiſſet, praeſtitiſſe diceret, quod optaſſet reddere non poſſe Romae communi parenti, paratumq. ſe, in omni diſcrimine, uitam, ſi tempora poſtulaſſent, ſaepius exponere. Deinceps; in bello Neapolitano, incredibili ad uictoriam adiumento fuit, adeo in inſidiis militaribus uerſatus, ac ſollers, ut fama eſſet minime dubia, Neapolim, Vrbem amoeniſſimam, ac ſplendidiſſimam, ab acerrima illa obſidione per eum maxime fuiſſe uindicatam; abacta re frumentaria hoſtibus, ac non ſine uitae periculo e praerupta crepidine per aduerſariorum caſtra facta eruptione. Quo quidem inſigni facinore Arriani Dux creatus eſt. Poſt haec, ad Gabinianum, Aurantio; uiro generoſo, deſiderato, ipſe, omnium conſenſu, exercitus Imp. deligitur. Rebus Florenti-

nis

nis ex ſententia compoſitis, Beneuenti, ueteris municipij, a Clemente Septimo, Gubernator creatur; a Caeſare uero Tornaci, in celeberrimo Summorum Principum conuentu; ampliſſima uelleris aurei dignitate donatur. Multa deinde geſſit ad Viennam, Tunetum, Preueſam, & Algerium aduerſus Turcas, & in Prouincia contra Gallos, cum creſcente uirtute eques creatus eſt ab Imp. Ad Tunetum certe, ueterem Carthaginem, narrant, cum primum tuba pugnae ſignum datum eſt, ſine mora concurriſſe Ferdinandum, atque omnium primum impetu facto praeſtantem Afrorum ducem haſta transfixiſſe, ſpectante Caeſare, ſtrictoq. gladio aciem ita barbarorum perturbaſſe, ut ſuis uictoriam unus attulerit. E Sicilia, ubi regiam gubernationem praeſidiis undique paratis tenuerat, abeuntem Mamertini ingenti aureo torque donarunt: tam ſancte per decennium eos populos rexerat. Hinc in Belgicam contendens, ad Bonnam, Vrbiorum opidum, luſtrato exercitu, Duram, Sicambrotum Vrbem, expugnat. Poſt, Mediolani, praeter artificum iudicium, propugnacula excitat; ac Subalpinae regionis opida minimis copiis defendit. At in Mediolanenſi gubernatione, ut fidem ſeruarit Regi ſuo, eſſet, cur afferretur longius repetitum argumentum, niſi anguſtiis breuis dictionis concluſa finem quaereret oratio. Ad Centum cellas ille aduehitur, iamq. portũ paene tenebat, adnauigato Tyrrheno mari, cum, a piratis circumuentus, licet uxorẽ, filios haberet, & plena eſſent omnia impedimentis, longe impar uiribus, fugauit hoſtem, myoparone detracto, uictorq. fuit, cũ de uita, & ſua, & ſuorũ dubitaretur maxime. Sed, quorſum iter tantum ſuſceptum? ut Hippolyto Capilupo, Vati, & itidem nauo rerum agendarum, narraret, ut, ſi qui Mediolanenſis ditionis cupidi forte ſcrupulum inieciſſent, ut interdum mortalium auiditas animum ſtimulat, ne quidem ſcribere auderent, cuius non modo animus cogitare quidquam ſimile, ſed uel etiam audire aures perhorreſcerent. quod ipſum confirmauit euentus. Vt merito Vincentio, Duci clariſs. Symbolum fides ſit, ut ille cecinit Vates Mantuanus:

——queis belli inſigne paternum
Intemerata fides, ueterum & decora alta parentum.

In Belgas uocatus, ipſo Sancti Laurentij peruigilio, fracto

Galliae

Galliae exercitu, ad Auguſtam Veromanduorum una uictoria innumerabiles peperiſſet, niſi Philippus Secundus, inuictiſſimus Hiſpaniarum Rex, iam prope labenti Galliae peperciſſet.

Ferdinandus, morbo correptus, ſuos omnes, ut munifico Regi perpetuo fidem ſeruarent, eſt adhortatus. Rege ipſo collacrymante, moritur, XVII. Decembris, anno aetatis LI. a partu Virginis Milleſimo quingenteſimo quinquageſimo ſeptimo.

FRAN-

FRANCISCVS . PRIMVS GALLIAE . REX

FRANCISCVS, Rex Galliae huius nominis Primus, e Valeſiorum gente, cum ad priſcos Reges ſanguine pertineret, defuncto Lodouico, iniit Principatum Kal. Iun. qui fuit annus ſalutis quingenteſimus decimus quartus ſupra milleſimum. Huius pater fuit Carolus, Engoliſmenſium Princeps. In primis Rex Inſubrum ditionem, in uarias partes diſcerptam, ſibi relictam ratus, per Alpium iuga, immani mole aſſurgẽtia, licet undique praeſidiis ſaepta, nouũ iter, atque humanis antea ueſtigiis plane intactum, ſuſcepit. Cum Mediolanum uentum eſſet, educuntur ex portis Heluetij, quos ex puluerea nube aere diffuſa cum Rex aduentare praeſenſiſſet, ad ſigna concurrere milites iubet. Magnus utrimque clamor; ac Sol meridianus, fulgentibus armis irradians, oculos praeſtringebat. Infinita Heluetiorum multitudo protrita caeditur; qui ſeſe haſtarum concurſu tuebantur. Vtraque, bello, & fama clara gens, accenſa ſuorum rebus geſtis, acriter dimicabat. At Heluetij, truci ululatu inſtrepentes, licet impetum pertinacius ſuſtinerent, ſuis excedere ordinibus coacti ſunt. Hi, cum redintegraſſent pugnam, non deſtiterunt, donec captae fugae infamiam hoſtium ſanguine Gallus expiarit. Pugnatum eſt octo continenter horis: ac ne nox quidem proelium diremit: quin ſubluſtris Luna calamitatem maiorem fecit. Reliquum noctis ſpatium rex in luſtrando exercitu poſuit. Vix matutinum crepuſculum illuxerat, cum iterum claſſicum inſonuit. Heluetiorum incredibili repetita ſtrage, quorum ad duo millia in Xenodochiis interijſſe dicuntur, Vrbis claues a Mediolanenſibus Regi oblatae; expugnataq. arce, Maximilianus Dux captiuus in Galliam ductus eſt. Haec eſt illa celebris ad Melignanum Vicum geſta pugna. Venio ad Papiae obſidionem: nec enim omnia perſequi ſtatui, ut in ceteris ſoleo; ſed, ſumma ſecutus, uix pauca quaedam conor attingere. Rex Papiam obſedit V. Kal. Nouembris. Caſtrametatur in loco hoſpite digniſſimo, & undique munito Ticino flumine, Regium

Taber-

Tabernaculum, Vrbemq. interlabente. Defendebant Vrbem non modo Viri, ſed etiam clariſſimae feminae; inter quas una omnium in ſe oculos conuertit Hippolyta Malaſpina, quae, Princeps feminei agminis, ſaxa, atque rudera humeris ad aggeres nō uehebat modo, ſed alias quoque, uoce, atque inſignis ſexus exemplo, accendebat. Haec, ut ex ea familia, quae tot duces extulit, tot nobiles euexit, tot aluit Principes, deiectis ſpeculis, moenibusq. ſubſtratis, duos delectae iuuentutis Galliae globos, qui ſigna muris fixerant, ſaxorum congerie perturbatos, longius repulit. Rex uero, auidus uictoriae, ac belli ardore accenſus, cum ſe ſe in hoſtes liberius inſinuaſſet, ſuffoſſo equo effuſus, alteri ſubleuatus dum imponitur, in Caroli Lauoiae Proregis poteſtatē uenit, fractus magis, quam uictus. Nec enim uirtus Gallica, ſed uarius belli euentus ceſſit Hiſpanis. Ex Gallis ad octo millia deſiderata. Rex in Piſternenſi arce aſſeruabatur. Mox Inſubria ad Caeſarianos tranſit, quae paullo ante cum Rege foedus percuſſerat. adeo ad leuiſſimas commutatioues ſocietatibus inſtituendis, renouandisq. praecipites homines aguntur, ut, quocumque uentus adſpiret, eo curſum uelis omnibus intendant. Obſidibus filiis relictis, in Galliam redit Rex omni memoria digniſſimus: qui, cum audiſſet, a Caeſarianis Vrbem Romam, domicilium pietatis, diripi, templa uiolari, refractas Veſtalium fores, coenobitarum ſaepta ſpoliari, omnia denique iura fuiſſe comminuta, qui plus rem Eccleſiaſticam, quam ſua ipſa pignora, adamaret, pro Pontificia libertate, ingenti parato exercitu, Lotrecchio duce, opem ſuam Chriſtianiſs. Rex parenti optimae defert. Tandem Niceae pax fit. Huc, niuoſo tempore, Veris initio, ſenili maxime aetati infenſo, indictis ſupplicationibus, Vrbe profectus, uenit pro publico bono, grandaeuus Princeps Farneſius. Negligit ille Romanorum preces, damna uectigalium, propinquorum obteſtationes; quin ſui met ac ſuorum commodorum oblitus, propoſito communi laborum fructu, ut, ipſo pacificatore, atque auſpice, Reges ad concordiam redirent, longum iter, & aſperum ſuſcipit. Ceterum Franciſcus, litteratorum pater, humana omnia inferiora uirtute ducens, antiquitatis monumenta undique perquirebat. Vtebatur in eos plane Regia liberalitate, curabat omni ſtudio, ut bonarum artium amantes in otio cum dignitate uiuerent. Lutetia illa Pariſiorum, ut florentiſſima ſemper fuerat, ita

rat, ita hoc tempore uigebat ita, ut Muſae uiderentur e ſinu ſuo munera omnia, gratiasq. in eam effudiſſe. Regum nobiliſſimus in ignobili Vico, cui Rambuleto nomen eſt, deceſſit, Pridie Kal. Aprilis, qui fuit trigeſimus tertius eius Regni annus, aetatis uero quinquageſimus tertius, Milleſimus quingenteſimus quadragemus ſeptimus. ſupremis illius exſequiis tam multi honores habiti ſunt, tantaq. funeris frequentia fuit, quantam numquam elato Rege uiſam eſſe credibile eſt. Cui ne defuiſſe uideamur, pro ea, qua Gallos plurimos doctiſſimos proſequimur, beneuolentia, hoc carmen eorum Regi addamus:

Gallia, te incolume, amplexa eſt bona commoda pacis,
Et geſſit forti proelia mille manu.
Franciſce, hic tumulum Muſae cinxere coronis,
Seruat & aeternum nomine Martis opus.

FRANCISCVS CARMAGNOLA

FRANCISCVS Carmagnola, patriae nomẽ, Subalpinae Galliae, pro gentilicio emeritus, ob indolis praeſtantiam, ac ſpem militaris gloriae, ad bella traductus, maioribus ſuis uirtute praeluxit. Creſcebat indies adeo eius gloria ſub Philippo Vicecomite, ut illi ex familia ſua affinem ſpoponderit. Exſtat ad hunc uſque diem Mediolani eius nomine magnifice exſtructum palatium. Quamquam haec emeritae militiae potius praemia ſunt, quam geſta. Ferro Placentiam Philippi imperio adiunxit, Bergomum ſubdidit, Cremonam, ac Brixiam obſedit, Heluetios fregit, Genuenſibus denique profligatis ultra Eridanum ſublata antea caſtra, paternam Philippi hereditatem reſtituit, Genua ipſa expugnata. Verum, ut ſaepe accidit Viris glorioſis, pluribus hinc inde urbibus comparatis, in tanto uictoriarum cumulo, ut par triumphus parari non poſſe crederetur, in ſuſpicionem uenit Philippo. Sic ſane Socrates, tum ſe in aliquo inter mortales numero eſſe putauit, cum primum in aliorum uenit inuidiam. Haec enim eſt inimica uirtuti, quae cũ uirtute tamen ipſa naſcitur, ac cum eadem ſuſcipit incrementa. Haec, alienis bonis, toruis oculis inſpectis, macreſcit ipſa; quodq. aſſequi nequit, ceteris denegari contendit. Vt uero ad Carmagnolam redeam, non defuerunt, qui eum celebrarent: nec quidem defuturi ſunt maiori ingenio & eloquentia. uerum ego, pauca quaedam ſecutus, ut in ceteris, maiori ſane ſtylo, quam res tãta magnorum ducum pateretur. Inter omnia illud maxime ſtatuo memoria poſterorum digniſſimum, quod, in felicitate tanta, ac rerum copia, minime oblitus patrij ſoli, unde primum hanc lucem hauſeras, ut praeclare ille cecinit,

Ad Scabrum haud ueritus confeſtim exire parentem es,
Fortiaq. infirmo circumdare brachia collo:
Illicet hoc unum malim, quam mille referre
Geſta tua, & praeclara inuicto ex hoſte trophaea.

Mirabilis quaedam uis eſt filiorum amoris erga parentes.

Leo

Leo imperium ab auunculo per manus acceptum patri ſuo ſponte tradidit; indignum ducens, ac prope nefarium, imperare, ubi pater priuatus ageret. Cimon Athenienſis, ut Miltiadem patrē, publice damnatum, uinculis eximeret, ultro ſe ſe carceri obtulit. Metellus, pro patre, tam multis lacrymis, precibusq. interceſſit apud populum Romanum, ut Pij cognomentum retulerit. Antigonus uero, Demetrij patris morte audita, in Libyam nauigat, atque aurea in urna collectos cineres Corinthum, inſigni nauium apparatu, adhibito quoque tibiarum cantu, deportauit. At Carmagnola, a paterno complexu auulſus, ad Venetos ſe ſe tranſtulit, a quibus dux exercitus creatus, Philippo Veronam, ac Brixiam adimit. Interea eadem illa, quae ſemper inglorioſe factis obrepit, peſtis, non defuerunt, qui, Carmagnolam in bello Cremonenſi defeciſſe, in Senatum referrent. Rapitur ad ſupplicium Carmagnola, immenſa auri ui relicta, pluribus etiam ex populo ipſo collacrymantibus, in eo ſpem omnem ſuam ponens, qui ſalutem rebus humanis attulerat, anno trigeſimo primo ſupra Milleſimū quadringenteſimum.

FRANCISCVS. GONZAGA

FRANCISCVS Gonzaga, Aloyſij, Mantuae Marchionis, filius, pro clariſſima Venetorum Repub. aduerſus Carolum VIII. acerrime decertauit. Is erat Carolus, quem toto orbe quorundam carminum, quae tunc iactabãtur, interpretes neſcio qui potiturum praedixerant. Nec deerant, qui nobiliſſimum quõdam Graecorum Imperium, quod Mahometes Othomanus, Byzantio capto, caeſo Conſtantino Imp. non multis ante annis occupauerat, ad Gallos pertinere iactarent. Sed, cum in Italiam uires ſuas effudiſſet, ſuorum ſanguine uetus illud prouerbium confirmauit, Gallorum corpora Italiae, ueluti propriae, ac gentiliciae ſepulturae, mandari conſueuiſſe. Veneti igitur, ingenti comparato exercitu, cuius imperium Franciſco Gonzagae Mantuano Principi Senatus demandauerat, rem armis gerere coepere. Conſederunt milites in agro Parmenſi ad Tarum amnem, qui ex Apennino labitur, nihil in Gallos moturi, ut Senatus iuſſerat, niſi laceſſiti. Carolus Neapoli ſub ſignis Romam fuerat profectus. Pontifex Vrbem ueterem primũ, tum Peruſiam conceſſerat. Carolus, triduo in Vrbe hoſtiliter uerſatus, Tuſcanellam, & Montemflaſconum diripit, Pontremulum in Apennini faucibus, ac Nouaram Sfortiae ademit. His ſociorum cladibus commoti Veneti, Gonzagae imperatori mandant, ut Gallorum uim bello arceat. Progrediebatur hoſtis ad dexteram Tari fluuij ripã, agmine quadrato, coeperatq. Venetũ interturbare. Gonzaga, ut iuuenta ferox eſt, & proelij cupida, conuerſus ad Melchiorem Triuiſanum, & Lucam Piſanũ Legatos, qui armati in acie aderant; Quid ſtamus? inquit: laceſſunt nos Galli: Italorum uirtutem quaſi exſtinctam rident. Ad ea Triuiſanus: Age igitur, Imperator; ſigna infert, ac, paternae, auitaeq. uirtutis memor, barbatum hodie Italicis uiribus prior inuade. Auditur claſſicum: turbatur primo congreſſu hoſtis: maioreq. animo, quam conſilio, primum dimicatum. Gonzaga, omnium primus, ut erat corpore praeualido, in aduerſam aciem, equo inuectus, armatum hoſtem, qui ſibi obuiam ex Gallorum regione furens aduenerat, lancea transfixit: ſtricto tum enſe, ita ſe glorio

ſe geſſit,ut eodem tempore & equitis ualentiſſimi, & prudentiſſimi ducis partes ſuſtinuerit. Quo facto, peruaſit ſubitus metus ad Regem uſque:qui detraxit ſibi imperatoria inſignia, ne, ſi aduerſa pugna contingeret, conſpectior haberetur. Galli, Rege adhortante,multa ui connixi, Venetum, iniquo loco dimicantem, primo ordinem turbine,mox ferocius inſtantes per decliuia in praeceps agere. Quo belli inopinato euentu Viri illuſtres plurimi, armorumq. peritia clari, ad retinendum militare decus fortiter mortem occubuerũt. Occidit in Venetorum exercitu Rodulphus Gonzaga,Ioannes Picininus,Rainutius Farneſius. Sed,dum hoſtium ſpolia Venetus miles auidius diripit, clariſſima ex Italorũ manibus elabitur uictoria. Tum,cum Veneti in caſtra rediiſſent, immiſſus equitatus ad hoſtem perſequẽdum Borbonius,ac Miolenſis duces a Gonzaga in ea trepidatione capti ſunt. Deinde, Gonzaga,ut cetera de tanto uiro perſequamur, Nouarã in agro Mediolanenſi acerrime oppugnat,dum eam Lodouicus Aurelianenſis,qui,Lodouicus Galliae nuncupatus, Galliae, ac Mediolani imperium eſt adeptus, pro uiribus tueretur. Interea, Franciſci fama per Hadriaticos ſinus peruagata, mittunt ad eum Veneti argenteum ſceptrum, ceteraq. eius dignitatis inſignia,quae ſummi exercitus Imperatori ab illis, pro ueteri more, maiorũq. inueterata conſuetudine,concedi ſolent. Secuta inter confoederatos, ac Carolum VIII. pace,a Lodouico Aurelianenſi Nouaro, Lodouico Sfortiae,qui Morus dictus eſt. At tunc Franciſcus Gonzaga in primis familiae ſuae,ac proprio humanitatis officio Carolum Vercellis conuenit, eidem omnia pollicitus, quae ab homine Gallici Regni ſtudioſiſſimo optari potuiſſent. Dimiſſus a Rege,non tam militaria inſignia ambiens,quam onus liberaliſſimi pro Veneta Repub. oblatum ſubiturus, Venetias contendit. Non longe aberat,cum, e litore ſoluens, Bucentoro inuectus,nobili nauigio, Vrbem, mari dominantem,ac diſciplinae militaris altricem,conſiliorum parentem,ueteris Romanae Vrbis aemulã, non tam ut magiſtratum ſuſcepturus, quam triumphantis in morem, ingreditur. Fuit ea laus maxima, licet communis pluribus Italiae Principibus,ut militarem cohortem aleret;ſed ſingularis, quod in eo toto genere accuratiorem quandam diſciplinam ſecutus eſt. Quod ſtudium apud exteras gentes cum eſſet minus uſitatum,factum eſt, ut Italorum in armis gloria exteris ſemper

praeſtiterit. Refert Herodianus, quo tempore Alexander aduerſus Perſas pugnauit, barbaras eas gentes, mercenario milite non uſas, ut mos erat Romanorum, neque ſtatiuis caſtris exercitus habuiſſe, qui bellorum actibus minime exercerêtur; ſed omnem multitudinem uirorum, non numquam etiam mulierum, Regis Imperio congregatam bellum intuliſſe. Mox, bello peracto, ſuas protinus in ſedes dimiſſas, ijs dumtaxat praemiis, quae ex rapina ſuperfuiſſent. Ac Seueri aduentu Parthus imperauit Satrapis per epiſtolas, uti copias congregarent. Ita enim facere conſueuit bellum comparaturus. Siquidem mercenarios milites, atque ordinarios exercitus Parthi nullos habent. Gonzaga uero, Senatus Veneti nomine, in Apuliam conuolat, opem daturus Ferdinando Regi Neapolitano; ubi, maioribus titulis auctus a Lodouico X I I. Galliae Rege, maximi exercitus Imp. creatus eſt. Hinc ſe Mantuam recipit, cum colligatorum foedus aduerſus Venetos innouatum eſt. Annus erat a Chriſto nato Milleſimus quingenteſimus nonus. Idem interfuit Veronenſi, Vicetino, ac Patauino proelio. Cum uero, ſtipendiis a Caeſarianis acceptis, in patriam reuerteretur, equitibus ſexcentis in poteſtatem Lucij Maluetij deuenit: qui eo uſque ſeruatus Venetiis in cuſtodia eſt, donec Iulij Pont. Max. beneficio liberatus eſt, cũ Federicum fidei ſuae obſidem Romam miſiſſet. Rurſus, imperator exercitus renuntiatus, inſigni gloria, in patriam reuerſus, ab armorum ſtrepitu ſemotus pacatam uitam ſecutus eſt, ſpe felicioris, quam uidetur fuiſſe conſecutus Milleſimo quingenteſimo uigeſimo Chriſti anno, quam ille Diuino munere largitus fuerat.

FR.

FR . MARIA . FELTRIVS DE . RVERE

FRANCISCVS Maria de Ruere, Iulij II. Pont. Max. germano, ac Ioanna, Federici, Vrbinatum Ducis, filia, natus, in Feltrium familiam adoptatus, retinens antiquum robur ſuorum, illuſtres titulos militari diſciplina mirum in modũ illuſtrauit. Is, cum accepiſſet, inter Imperatorem, Gallorum Regem, ac Venetos, pacem ſecutam, Veronae milites dimitti, collecto exercitu, dum compendiaria itineris ſectatur, tanta celeritate ad ſuos perrexit, ut nuntium praeuerterit. Hic, ne ſingula perſequamur more noſtro, detecto Hiſpanorum dolo in Ducem humaniſſimum, militum atrocitatem eorundem ſanguine expiandam curauit. Interea Veneti Feltrium in Imp. exercitus ſui eligunt; cuius cõſilia Lotrecchius merito ſaepe fuerat admiratus. Is, Veronam ingreſſus, recenſendorum militũ ſpecie, exercitum coegit; quem Caeſariani in ſui perniciem ubi parari praeſentiunt, praeſidia, quae in Subalpinis ſtatiua habebãt, Mediolanum deducunt. Mox ciues qui in primis Sfortianis conſultum cupiebant, magno tumultu in Caeſarianos inſurgunt, libertate, alijsq. ſpecioſis titulis plebe concitata. Populus, ſpe Gallorum aduentus erectus, contumaciam cum pernicie, quam Caeſaris imperium cum ſecura pace, malebat. Extemplo caedes in uiis facere, ex ipſis domorum ſpeculis ſenes, ac feminae, Sfortiae nomen conclamantes, ſaxa, lateres, trabesq. ex ſummis aedibus reuulſas in ſubiectos Caeſarianos iacere. Ea ſeditio biduum tenuit: utrimque plurimi occubuere. Kal. Iunij eius anni caſtra Reip. Venetae, ac Pontificis in unum conuenere. Quibus diebus Vrbinas, opera Lodouici Vaſtarini, Laudem Pompeiam recuperauit, Caeſarianis in arcem redactis. Horum cum plerique in poteſtatem ueniſſent, ſui iuris facti, apud Vrbinatem, accepto ſacramento, ſtipendia meruerunt. Certior factus Antonius Leua, Vrbinati Laudem Pompeiam extorquere omnino in animum induxerat. Verum Vrbinas, collatis ſignis, acriter tam diu manus conſeruit, dum Caeſariani, re infecta, cum clade ſuorum, in fugam uerteren-

uerterentur. In eo Vrbis conflictu Errara Vir fortis, qui inter Caeſarianos ordines duxerat, pilam per tempora excipiens, maxillis, ac dentium uallo conuulſo, occubuit. Proceſſerant hinc Caeſariani in agrum Mantuanum, praedasq. undique agebant. Hoc coercere Vrbinas cupidus, ac ſociorum agrum tueri, accolarum auxiliis hoſtem adoritur. Par utrimque diu proelium fuit: tandē, ſub noctem, pulſis loco hoſtibus, uirtute armorum praeſtitit Vrbinas. Hic Vir magni animi, aegre ferens, Cremonenſem obſidionem e manibus cecidiſſe, de ea rurſus obſidenda rogationem promulgat: egregiam gloriam fore ratus, ſi ea pellerentur Caeſariani; ex qua tantum ad bellum conſpiciendum momenti penderet, ſub cuius moenibus Viri clariſſimi Iulius Mā̄fredonius, atque Alexander Marcellus mortem oppetiiſſent. Ad delendam igitur ignominiam redire, auctore Duce Vrbinate, coeptum eſt; qui, inclinante iam in meridianum tempus die, tormenta idoneo loco collocari iubet. Muri plurimum ſolo aequatum erat. Forte ita euenit, ut inter Vrbem, arcemque, actis praealtis foſſis, Veneti cū cohortibus aliquot deliteſcerēt, quos, noctis ſilentio, ad unū conciſos Caeſariani reliquerūt, inter quos fuit Carpalus Peruſinus; inſidiae auctori perniciem cum dediſſent. Vrbinas igitur multo infeſtius Vrbem tormentis oppugnare inſtitit, cuius animus, niſi exciſa Vrbe, conquieſcere nullo modo poterat. Obſeſſi, tot cladium pertaeſi, conciliare ſibi Vrbinatem ſtudebant: allatae ſunt ad Vrbinatem condiciones deditionis. Vrbinas ouans Vrbem inijt, nec in quemquam atrocius ſaeuiit. Sed, dum multa, a tanto Duce praeclare geſta, ab aliis copioſe explicata, ſilentio inuoluimus, Borbonius Romanam Vrbem, Pontificum ſedem, domiciliū pietatis, admotis ſcalis, occupare conabatur. In muros iam prope uictor euaſerat, cum, pila per latus ſiniſtrum ictus, praeceps ruens, ſemianinis iacuit. Hunc ſibi uitae finem adeſſe ratus, Gognam ſuprema uoce monuit, ut ſe ueſte inuolutum Vrbi inferret, ne milites mortuum conſpicati coeptam uictoriam desererent. Impij truces oculos mors texit. Sic ſane impios aequiſſimus Deus eo uſque labi permittit, ut nec quidem euidentiſſima pericula uideant; ſic ferente eorum obdurata in malo conſcientia, ac prouida rerum omnium Diuina mente, quae grauitate ſupplicij tarditatem compenſat. Numquam Gothi, aut Vandali tantum inuexere exitij. Milites nec a ſacris, nec a profanis impias manus abſtinuerunt.

ſtinuerunt: martyrum auguſtiſſima templa expilata: ſacra oſſa, direptis aureis loculis, diſiecta, ac nefariis pedibus contrita ſunt. Annus uertebatur ſalutis humanae Milleſimus quingenteſimus uigeſimus ſeptimus, cum Roma hanc cladem funeſtiſſimam paſſa eſt. Aduolat, infauſto nuntio accepto, Fr. Maria ſubſidio: uniuerſa Vmbria, ſuis auulſa ſedibus, pro patriae ſalute arma capit. Vbi a Mariano colle, & Mellinorum uilla, qui Vrbanum Septimum piiſſimum Pont. affinitate attingebant, Vrbem fumantem conſpexit, deplorauit Dux maximus communem calamitatem, doluitq. ſe illi ut parenti Opt. uitam non potuiſſe opportune reſtituere, a qua tam multa familia ſua accepiſſet ornamenta dignitatis. Non tam is dolebat aurum, gemmas, uaſa argentea, ſigna, tabulas, atque alia generis eiuſdem pretioſiſſima diripi, quam ſacra inſigni ſcelere fuiſſe polluta. Poſt inter Paulum III. Imp. ac Venetos contra Turcas Imp. terreſtris exercitus creatus Feltrius, omnia in tāto munere praeſtitit, quae a Principe, & militiae exercitatiſſimo, deſiderari poſſe uiderentur. Moritur menſe Octobri, ſalutis anno Milleſimo quingenteſimo trigeſimo nono.

O FRAN-

FRANCISCVS SFORTIA

FRANCISCVS Sfortia, Mediolanenſiũ Princeps, Mucij filius, ſextum decimũ natus annũ, quod antea ei pater minime conceſſerat, interfuit bello, quod ad Tuſcanellam in Tartalianis equitibus geſtum eſt. Hic, Tartalia, ad tubae cãtum, ſub ſignis, porta effuſis ſuis, ipſe quoque cum globo cataphractorum exſilijt. Tum uero erupere e ſiluis undique Sfortiani, eorum more, quibuscum Caeſar ſe pugnaſſe ſcribit in Commentariis ſuis. Pugnatum eſt, ac ſi alias umquam, acerrime. Ipſe, dux ſaucius, perculſusq. metu, ſe ſe recepit: extemplo cataracta demiſſa, alienae ſalutis oblitus, tertiam fere ſuorum partem excluſit. At Franciſcus, quod in aduerſos hoſtes alacriter haſtam perruperat, cingulo militari, & calcaribus aureis, praeclaro etiam hoſtium teſtimonio, exornari promeruit. Hunc ſub ſua diſciplina inſtitutum pater in Bruttios ad dotales urbes dimittit, cui attribuit eximiae uirtutis duces, pluribus iuuenem cohortatus, ut unam pietatem, ac uirtutem adamaret. Hos ad magna peruenire, harum contemptores in peius ruere. Vicit opinionem Franciſcus. Nam poſtea, ſexcentis equitibus Aterno amne traiecto, cum Braccianis proſpere dimicans, periclitanti quidem parenti, laetanti tamen, iucundiſſimum praebuit ſpectaculum.

Annum tunc agebat uigeſimum tertium Sfortia, cum in paterna hereditate a Ioanna quoque Regina cõfirmatur, Caieta, ac Neapoli expugnatis, cum Guido Torellius maritima claſſe, ipſe uero terreſtri acie urgeret. Nono Kal. Iunij iungit ſe caſtris Martini V. aduerſus Braccium, qui Aquilam obſidebat. Quarto Non. Iunij inſequentis horis octo certatum eſt, ac fractus Braccius a ſuis deſideratus eſt. Reginae Aquila reſtituta, uenit in Inſubriam ad Philippum Vicecomitem, cuius auſpiciis Fauentiam in Flaminia diripit. Hinc ad ſubſidia Brixiana, tum ad Genuẽſes aduolat, quos tumultuantes ſingulari prudentia conciliauit. Hoc tempore ex Inſubriae finibus ad Ligures Gaſpar Vicomercatus, Franciſcum ſecutus, per Pulciferam uallem, ad Cornelianũ uicum, tria paſſ. millia Genuae proximum, proruperat. Dimicat in agro Cremonenſi a meridie ad mortem uſque: poſtea, Lucenſibus occupatis,

Regulum eorum ad Philippum tranſmittit. Pace ſecuta inter Venetos, ac Vicecomites, Milleſimo quadringenteſimo trigeſimo tertio, Sfortia ad Apeneſten, in Apulia, tumultuantem, properãs, in ipſo itinete, quaſi aliud agens, uniuerſum Picenum occupat. Poſtea Franciſcus, pace facta cum Eugenio IIII. creatur Romani exercitus Imp. Hunc per Flaminiam Bononiam deducit; Foroliuij expugnato, uulneratoq. Fortebraccio, qui uix horarũ duarum ſpatio uiuus ſuperfuit. Ex iterata Lucenſi obſidione, a Venetis uocatus, ſub his ſtipendia meruit; ſaepius a Philippo fil. nuptiis deluſus. Brixiam a triennali obſidione uindicat, Picino uulnerato. Capit Peſcheriam, nunc Venetae Reip. propugnaculũm inexpugnabile, cuius ad radices Benacus adiacet Lacus; unde Mincius, Mantuam irrigans, ſe ſe in Padum pleno gurgite effundit. Denique, ſubueritus tanti Ducis uirtutem Philippus, pacem poſcit, quibuſcumque uiſum eſſet condicionibus: de quibus cum in Senatum Venetum relatum eſſet, in arbitrium Franciſci eae reiectae ſunt. Nuptiis inſigni pompa celebratis, Milleſimo quadringenteſimo quadrageſimo primo anno Diuini partus, Picenum, quo ſe receperat, quantum quantum erat, perdit. Vnum Fabrianũ obdurauit in eius fide, ita, ut, Pontificij Legati monita negligens, obſidionem exſpectarit. Sed uide, quam haec humana fluxa ſint, quam ue facile labantur. Laborabat ſcilicet mole tantum Imperium. Inſubria una uix fidem ſeruat; ac, quidquid intra Abduam ac Ticinum fluuium clauditur, ſe ſe dat Sfortiae. Mediolanum obſidione captum Milleſimo quadringenteſimo quadrageſimo. IV. Kal. Martij triumphans ingreditur, militum inſigni ornatu, quod ſemper adamauit, atque auro, argentoq. fulgenti cohorte. Moritur, anno decimo imperij, aetatis ſexageſimo tertio, menſe Martio; poſt Virginis partum Milleſimum quadringenteſimum ſexageſimum.

FRIDERICVS. I. IMP.

FRIDERICVS, a colore, Ahenobarbi cognomẽ adeptus, ſub Corrado patruo in Aſiaticis proeliis diſciplinam militarem accepit. Is tanti animi fuit, ut nullum eſſet periculum, quod non ſubire auderet. Itaque pluribus ſe bellis commiſit. Erat quidem grandi corpore, ad pugnandum tamen ita expeditus prodibat, ut nemo ipſo alacrior uideretur. Accedebat rabies quaedam temerariae ambitionis, ac ſitis immodicae gloriae, ac perpetuae cupiditatis dominãdi. Eſt uero cuique inſitus gloriae ſtimulus: is tamen fines ſuos habet, & modum. Hic labor ſtrenuus adiungitur: *Quis enim magna coronari contendat Olympia dulcis ſine puluere palmae?* Praeclare Xenophon: Curae laborioſae efficiunt, ut ad pulchra, & honeſta facta perueniatur. Vtinam Fridericus mature mentem ad Reip. Chriſtianae defenſionem conuertiſſet. Solidiorem certe rerum a ſe geſtarum famã collegiſſet. Ea enim demum uera eſt, quae a recte factis percipitur, laus. Fridericus, cognomento Barbaroſſa, Friderici, Sueuorũ Ducis, ac Iudithae filius, in defuncti Conradi patrui locum Francofordiae Imperator appellatus, Milleſimo centeſimo quinquageſimo tertio, Bauaria primum, atque Auſtria, ad pacem, & concordiam redactis, coacto exercitu, in Italiam irrupit. Expugnat in ipſo limine Derthonam, quae Vrbs in eius aduentu portas occluſerat; tum uero Spoletium in Vmbria ex itinere funditus exſcindit. Inde Romam proficiſcitur. Romani, ex Aelio ponte, cum Germanis, egreſſi, ad Neroniana prata cruentum proelium commiſere. Hadrianus Pont. qui ad mare profugerat, ad Vrbem reuerſus, Caeſarem placatum, ac uenerabundum in Vaticano, more maiorum, Imperij Coronam detulit; quam Conradus cum optaſſet maxime conſequi, non potuerat. Reuerſus in Germaniã Vladiſlaus exſul, orat Imperatorẽ pro ſui reſtitutione in Regnũ, ex quo a fratre fuerat deturbatus. In Poloniam arma expediẽs, difficiliores, quam putarat, condiciones reperit. Quamobrem ſtudio tunc Boemorum Principis factum eſt, ut Vladiſlaus Sileſia dumtaxat potiretur, dum Boleſlaus frater Poloniae Rex eſſet, isq. Imperatori in ſubſidia belli Mediolanenſis trecentos haſta-

tos equites in Italiam mitteret. In quam iterum ingreſſus Milleſimo centeſimo quinquageſimo octauo, maximo exercitu, Mediolanum obſidet, parta uictoria. Capto deinde Foro Diuguntorum, Cremam noſtri appellant, Mediolanum, ſibi rurſus infenſum, oppugnans, penitus delet. Miſerum ſane excidium. Ruit Vrbs opulentiſſima, pulſis ciuibus. Vix procul fumantem patriam proſpicere ciuibus licuit: ipſa ueterum monumentorum ueſtigia delentur penitus. Hic erant Compitales lares: hic Fauſta, & Porciana, & quae Herculi fuerat a Maximiano aedes conſecrata. Hic a Claudio decantatus Honorius: hic domus Statij Caecilij, cui primas in comoedia partes Nigidius ſtatuit. Hic Virgilius humanioribus ſtudiis operam dederat, ac Albucius Nouarienſis Rhetor non obſcurus cauſſas apud L. Piſonem Proconſ. perorauerat. Ab hoc excidio annum ſeptimum patria ciues exſulabant. Exſtimulabat animos par exſilium, communis calamitas; ſed in primis uiolata Pontificia dignitas, quam tot annos barbarus inſequeretur. Nam, Hadriano defuncto, Alexandrum III. Pont. Max. Vrbe depulerat impius Imperator, ut Victorem, tum Paſchalem, poſtea Caliſtum Tertium, ac demum Innocentium Quartum, ſubrogaret; qui tamen omnes, Deo uindice licet robuſti, Alexandri legitimi Pont. aetate grauis obitum anteuerterant. Veniunt Mediolanenſes in vicum, qui Barillanus dicitur, eſtq. in uia ipſa, qua Comum patet, Orobiorum urbs inſignis. Occiditur Imperatoris ſignifer, direpto uexillo. Fridericus, qui iam tertium ex Germania in Italiam uenerat, equo ſuffoſſo, in terram ſternitur. Pluribus ex ſuis deſideratis, Papiam profugit: ipſa Friderici uxor, quae Comi relicta fuerat, uirum pro conclamato luxit. Mox, ad Pontificis pedes prouolutus, apparuit, pacem poſtulans, capto nauali proelio Othone filio: Annus uertebatur ſalutis humanae Milleſimus centeſimus ſeptuageſimus ſeptimus. Inde, depoſita Imperiali dignitate, quam longinqua rebellione polluerat, Romam uſque, priuato ſimilis, eundem proſecutus eſt; ubi in ſedem ſuam reſtituto Alexandro Pont. iterum ſtratus humo, palam omnibus calcandam ceruicem praebuit. Ab hoc tempore cogitans meliora pro criminũ expiatione, Hieroſolymitanam profectionem, quam ſaepe promiſerat, expedit. Cum enim in Germaniam rediiſſet pio, religioſoq. animo, coacto ex ueteranis militibus lectiſſimo exercitu, Henrico filio Cae-

ſare renuntiato, per Pannoniam Byzantium properans, in Cilicia Vrbes plurimas cepit, hoſtesq. profligauit. Non multo poſt, quam Philomelam, ſupremum eius operum, in Armenia cepiſſet, ut aeſtiui feruoris erat impatiens, more ſuo, natationem repetens, undis limpidiſſimis allectus, uel, ut alij ſcribunt, Ferreum amnem equo uadatus, magno noſtrorum incommodo, ac ſingulari hoſtium laetitia, aquarum uertice abſorptus, occubuit, in curſu uictoriarum, Fridericus, Imperij ſui anno XXXVII. Redemptionis noſtrae Milleſimo centeſimo nonageſimo.

GASTO

GASTO FOISSEIVS
GALLVS

GASTO Foiſſeius, ſororis Lodouici Duodecimi Galliae Regis filius, in ipſo iuuentutis flore in Italiam ab auunculo miſſus, prius imperator, quam miles laudatus, celeritate maxima inſignes retulit uictorias. Bononiam ante aduolat, quam uel de eius aduentu noſtri ſuſpicarentur. Eadem celeritate Brixiam uenit. Hic temporibus illis erat Andreas Grittus, qui eam vrbem Venetis tueri nitebatur; ſed Foiſſeius captam, direptamq. in ſui poteſtatem ita attraxit, ut etiam ducem ipſum in ulteriorem Galliam captiuum miſerit. Grittus poſtea multis aduerſis proeliis aſſecutus eſt, ut Grimano ſuccedens Venetorũ Reip. florentiſſimae annos undecim in ſummo imperio praeeſſet. Iterum ad obſeſſam Bononiam expeditione omnium exſpectationem praeuertit. Citius enim caſtra metatus eſt, quam uel ea mouiſſe exiſtimaretur. Sic ſane Cl. Nero, qui, caſtris prope Hannibalem hoſtem relictis, cum detraxiſſet, quidquid erat roboris, ac floris Haſdrubalem tanta itinerum celeritate conuenit ex Apulia, ad Metauri tortuoſi amnis ſinus, flexusque, ut, hoſte occiſo, prius regreſſus ſit ad ſuos, quam uel eius diſceſſum alteruter hoſtis ſuſpicaretur. Vix in Apuliam redierat, caſtraq. coniunxerat, cum caput Haſdrubalis, quod ſeruatum cum cura attulerat, proiici ante hoſtium ſtationes curat. Tunc demum Hannibal perculſus praeſenſiſſe dicitur, quam infeliciter ſecum ageretur. Verum infelix adoleſcens, ut ad Foiſſeium redeam, qui tot naturae bonis aduerſus Italiam, ſummumq. Pont. abuſus ſit. Dum antiqua Gallorum monumenta euoluo, admirari ſoleo domi, foriſq. eius gentis induſtriam, honeſtamq. de omni uirtute inter nobiles contentionem. Seniores, quorum uirtus multis magniſq. rebus eſſet cognita, Prouinciis regendis praeponebãtur; iuuenes uero, ad maxima pericula prompti, ſeniorum praemia exſpectabant. At, pietatis ſtudio ſublato, omnia conciderunt.

ſare renunciato, per Pannoniam Byzantium properans, in Cili-
cia Vrbes plurimas cepit, hosteſq. profligauit. Non multo poſt,
quam Philomelam, ſupremum eius operum, in Armenia cepiſ-
ſet, ut aeſtiui feruoris erat impatiens, more ſuo, natatio-
nem repetens, undis limpidiſſimis allectus, uel, ut alij
ſcribunt, Ferreum amnem equo uadatus, ma-
gno noſtrorum incommodo, ac ſingulari
hoſtium laetitia, aquarum uertice ab-
ſorptus, occubuit, in curſu uicto-
riarum, Fridericus, Impe-
rij ſui anno XXXVII.
Redemptionis
noſtrae
Milleſimo centeſi-
mo nonage-
ſimo.

GASTO FOISSEIVS GALLVS

GASTO Foiſſeius, ſororis Lodouici Duodecimi Galliae Regis filius, in ipſo iuuentutis flore in Italiam ab auunculo miſſus, prius imperator, quam miles laudatus, celeritate maxima inſignes retulit uictorias. Bononiam ante aduolat, quam uel de eius aduentu noſtri ſuſpicarentur. Eadem celeritate Brixiam uenit. Hic temporibus illis erat Andreas Grittus, qui eam vrbem Venetis tueri nitebatur; ſed Foiſſeius captam, direptamq. in ſui poteſtatem ita attraxit, ut etiam ducem ipſum in ulteriorem Galliam captiuum miſerit. Grittus poſtea multis aduerſis proeliis aſſecutus eſt, ut Grimano ſuccedens Venetorũ Reip. florentiſſimae annos undecim in ſummo imperio praeeſſet. Iterum ad obſeſſam Bononiam expeditione omnium exſpectationem praeuertit. Citius enim caſtra metatus eſt, quam uel ea mouiſſe exiſtimaretur. Sic ſane Cl. Nero, qui, caſtris prope Hannibalem hoſtem relictis, cum detraxiſſet, quidquid erat roboris, ac floris Haſdrubalem tanta itinerum celeritate conuenit ex Apulia, ad Metauri tortuoſi amnis ſinus, flexusque, ut, hoſte occiſo, prius regreſſus ſit ad ſuos, quam uel eius diſceſſum alteruter hoſtis ſuſpicaretur. Vix in Apuliam redierat, caſtraq. coniunxerat, cum caput Haſdrubalis, quod ſeruatum cum cura attulerat, proiici ante hoſtium ſtationes curat. Tunc demum Hannibal perculſus praeſenſiſſe dicitur, quam infeliciter ſecum ageretur. Verum infelix adoleſcens, ut ad Foiſſeium redeam, qui tot naturae bonis aduerſus Italiam, ſummumq. Pont. abuſus ſit. Dum antiqua Gallorum monumenta euoluo, admirari ſoleo domi, forisq. eius gentis induſtriam, honeſtamq. de omni uirtute inter nobiles contentionem. Seniores, quorum uirtus multis magnisq. rebus eſſet cognita, Prouinciis regendis praeponebãtur: iuuenes uero, ad maxima pericula prompti, ſeniorum praemia exſpectabant. At, pietatis ſtudio ſublato, omnia conciderunt.

derunt. Verum nimirum uetus illud: *Aetatem parentum peiorem auis ferre nos nequiores: mox daturos perniciem uitioſiorem*. Et uero, dicet aliquis, aetati aliquid dandum eſt, ignoſcendum adoleſcenti. Solet enim ea aetas lubrica eſſe, & plerumque incertos habere exitus. Huc adde mandata Regia. Graeci agricolae, cum uiderent matureſcere ſegetes, certo tantum temporis ſpatio, non colonorum opere, aut ſoli natura, dixerunt, Annus producit, non ager. Cumq. animaduerterent, ſaepe immaturas ſegetes demeti non ſine detrimento plurimorum, & fructum laboris ſuperioris perire, prouentum uniuerſum ſoli tempori tribuere, & patienter exſpectari uoluerunt iuſtum meſſis tempus: Ita ſane ſuſcipiendis grauium rerum curis temporis habenda ratio eſt; ut admoueantur ad eas facultates adoleſcentes, quibus pares ſint, & tantiſper domi exerceantur, donec maturuerit iudicium; nec meſſem properent facere ante tempus. Ecce Foiſſeius imberbis in Rauennatum campis iacet: eius ſepulcrum ab ipſa teſtudine templi deiicitur: conculcantur trophaea. Fuerat enim a Iulio Pontifice Max. impeitatis damnatus. Quam diſpari ſtudio in Italiam eius frater Lotrecchius uenit? Hic, uel exemplo edoctus, uel pia educatione inſtitutus, uel Franciſci Regis Chriſtianiſſimi praecepto, non oppugnator, ſed defenſor, omnium teſtimonio celebratur. Is certe proprium Elogium habuiſſet, niſi etiam notandus praeceps iuuenilis aetatis curſus Foiſſeij exemplo fuiſſet. Dum Romana Vrbs bello ardet, dum Pontifici uix tutus eſſet relictus locus, concitatis equis aduolat, libertatem communi parenti reſtituturus. Quam merito, ut illius deiectum cenotaphium, ita huius ſeruatoris Rom. Vrbis, ac ciuium, pretio redempta oſſa, ac ex S. C. decretae in Laterano anniuerſariae quotannis exſequiae. Te ego, Odette, odis, & cantibus celebrarem, ſi per huius noſtri inſtituti anguſtias liceret. Si te Roma genuiſſet, laudarem ita, ut officium parenti reddidiſſe gratus uiderere; ſed, quia ultra Alpes Gallia te ſinu ſuo excepit, ſolo ſilentio poſſum non ſine admiratione, ac ueneratione tantum facinus celebrare; ut te auſpice Italia olim a Gothis, & Vandalis deformata, proſtrataque, rurſus a ſuis iniurias paſſa, ab incendijs, ac latrociniis liberaretur,

O bellica

O bellica uirtute Heros, Pontificiae dignitatis aſſertor, ac uindex; tu quidem tuis carus, ſed nobis ſalutaris, perpetuo celebrabere. Porro Foiſſeius, uictoria, in Rauennatum campis, morte potitus, dum uictoriam uincere ſtudet; iuuenili ardore inflammatus plane delendi hoſtis, ſe ſe praecipitem hoſtibus dedit, ut uictam uictoriam uinceret, ac penitus profligaret. Hic ſub aggere profluentis amnis, quaſi flos, ſucciſus, poſt armatorum copiis miſere obrutus eſt, aetatis anno uix XXIII. a Chriſto nato Milleſimo quingenteſimo duodecimo.

GEORGIVS . CASTRIOTA
EPIROTARVM . PRINCEPS

GEORGIVS Caſtriota, a barbaris Scanderbe
chus nuncupatus, Ioannis, Epiri Principis, filius,
Amurathi, Turcarum Imp. obſes datus, in Scy-
tharum diſciplina militari, adoleſcens, ſpem ma
ximam ſui, in tractandis armis, excitauit. Equi-
tum alae ſignifer creatus, cũ in dies magis eius
eluceret gloria, in Aſiam mittitur aduerſus Ciliciae Regem. In
quo bello, rebus praeclare geſtis, inſignes eſt honores cõſecutus.
Id uero eum maxime extulit, quod, ad ſingulare certamen laceſ-
ſitus, Tartarum hominem, pluribus uictoriis exſultantem, ac Per-
ſam, ſtrenuum ducem, ſtrauit. In flore militiae patrem deplorat,
ac Regnum amiſſum fictis, atque adulterinis epiſtolis recipit.
Arce occupata, atque in concionem populo aduocato, Rex, com
muni omnium conſenſu, acclamatus eſt. Hinc ſaepe Amurathis,
& Mahumetis filios repulit. Septem purpuratis clariſſimis Tur-
carum ducibus deuictis, foedus pepigit cum Mahumete. Plane
inſignis eius uictoria aduerſus Scythas celebratur Milleſimo
quadringenteſimo ſexageſimo ſexto. Qua occaſione ſibi oblata,
in Italiam nauigat, operã ſuam pollicitus Ferdinando, Regi Nea
politanorum, qui cum Andegauenſibus decertabat. Apulia uni
uerſa amico Regi omni fide, ac diligentia reſtituta, ad ſuos, exple
to cum hoſte foedere, reuertitur. Obſeſſus in expugnatione Cro-
iae, animo infracto, Georgius, celebrem ab hoſte triumphum re-
fert. Hic obſidionem pluribus referamus oportet, ut pateat eius
gentis robur. Vrgebat ea loca Scytha, cum uentus exortus Cro-
ienſibus uictoriã adiudicauit. Miraculo fides manifeſta acceſſit.
Tota nocte uiſi ſunt cerei, per ſtationes, in hoſtilium cuſpidibus,
accenſi. Scodrenſes, ea ſpe erecti, preces Deo Opt. Max. fude-
runt, dum tamen nihil praetermittunt, quod ad cuſtodiam perti-
neret. Hic non modo uiri, ſed mulieres ipſae uallos faciebant,
ducebant uineas, ollas calce, oleo, pice replebant. Intenti omnes,
adhortari ſe inuicem, parareq. ad pugnam. Par animus matro-
nis erat, quae nec ſedulitate, nec labore, uiris cedebant: quarũ eo

maior

maior laus eſt,quod ſexus eſt debilior. Hae,immiſtae uiris,moe nia aſcendebant: aliis occiſis, aliae ſuccedebant: omnes unanimes,quaſi ab una origine manantes, ut de gente Fabia traditum eſt,in quas illud cadit, *Pulchrumq. mori ſuccurrit in armis*,ſub oculis parentum filiae,ſine lacrymis,ſine funere,cadebant. Inter omnes illa Virago celebratur,quae Turcam,per cuniculos irrepentem,ſummaq. petentem,capillis arreptum,capite,ante ipſa moenia,obtruncauit. Sed ad Georgium ueniam: qui Croia Romam uenit,ut Chriſtianos Principes aduerſus Turcas conciliaret. Verum,Pio Secundo ad meliorem uitam euocato,res minus pro uoto ſucceſſit. Sic enim datus eſt ille Orientis Tyrannus, ut nos exerceat. Fuit Georgius Chriſtiani nominis amantiſſimus, quo nemo felicius, nemo acrius contra communem hoſtem pugnauit. Eius gladius tantae fuiſſe dicitur magnitudinis,ut Mahumeti,eum uidendi,cupiditas inceſſerit; ac, prout ferebat eius gentis ſuperſtitio, eiuſdem cineres,tota Epiro perquiſitos, nonnulli pro amuleto geſtarint, ſpe certae uictoriae, licet in confertiſſimum armatorum agmen inituri uiderentur. Princeps egregius Lyſſi, apud amnem Dryllum,febri correptus, ac filio Venetae Reipub. commendato, moritur, aetatis anno ſexageſimo tertio, Regni uigeſimo quarto, ſalutis de caelo allatae per Dei Filium Milleſimo quadringenteſimo ſexageſimo octauo.

HERCVLES. II FERRARIAE. DVX

HERCVLES, ex Nicolao III. eiuſdemq. tertia uxore Riccarda, legitimo matrimonio, natus, una cum fratre Sigiſmundo, in primo aetatis flore, Neapolim, in aulam Alphonſi Primi, mittitur, ut in Regia diſciplina educaretur. Hic breui eam ſui opinionem concitauit, ut non modo inter aequales, ſed ſe ipſo maior uidererur. Frequens erat temporibus illis uſus umbratilis pugnae: in quo genere cum famam ſibi non mediocrem adoleſcens collegiſſet, ſingulare certamen cum Galeatio Pandone inſtituit. Delecto ſolitudinis loco, teſtibus dum taxat duobus utrimque adhibitis, ad Herculem uictoria inclinabat, ut teſtatur Aequicola; cum certior factus Rex celeritate pugnam diremit. Ab eo tempore intrepidi equitis nomen accepiſſe dicitur Hercules. Defuncto Alphonſo, Ferdinandus, in Regno ſuccedens, non ita ſe familiarem illuſtribus his adoleſcentibus exhibebat. Itaque, Borſiae Leonelli conſilio, qui tunc Ferrariae rerum ſtatum adminiſtrabat, ſe ſe una ab eo ſubducere ſtatuit. Hercules in Apuliam proficiſcitur, atque, ad ſuos concione habita, facile omnes in Ioannis Andegauenſis caſtra deduxit. Apud hunc frontem exercitus ducens Millesimo quadringenteſimo ſexageſimo, multa ſubdidit Andegauenſi ditioni, inter quae numerantur Troia, Folia, Manfredonia. Cum uero Regiis copiis occurriſſet ad Sarnum fluuiũ, inter Cumanos, qui, quod hanc partem tenuerint, nomen regioni dederunt; Hercules ita acriter cum Ferdinãdo manus conſeruiſſe dicitur, ut Regiae purpurae partem diſtractam inter maiorum ſuorum trophaea eſſe uoluerit. Pluribus in Apulia praeclare geſtis, una cum Sigiſmũdo II. in patriam uocatus, alter Regio Lepidi, alter Mutinae praeficitur. Hinc apud Remp. Venetorum eam condicionem obtinuit, ut, quo tempore, depoſito ſago, bella ſilent, Iani concluſis foribus, quindecim millia aureorum optatiſſimae pacis ſtipendia cõſequeretur. Adiunctus poſtea Bartholomaeo Bergomati, in Inſubria, inter dimicãdum, licet uulneratus,

ratus, ad noctis uſque imminentis tenebras, pugnans, Ferdinandum filium fugientem inſecutus, numquam deſtitit, donec ab eo Liciniae partem ſuccidit, ſimillimo ueteri, quod a patre retulerat, trophaeo. Itaque merito poſt Borſum Principatum cepit Milleſimo quadringenteſimo ſeptuageſimo primo, Nicolao, Leonelli filio, qui Regnum affectabat, e medio ſublato. Interea Riccarda mater, ſtirpe nobili, quae ſe ad ſuorum caſtra receperat, Ferrariam inſigni pōpa ingreditur, quam non niſi dominam ſe ſpectaturum praedixerat. At Hercules, cum Venetis, Florentinis, ac Vicecomitibus, foedus contrahit; quamquam non multo poſt a Veneto diſſenſit, qui, in inſulam Eridano adiacentem, ingreſſus, praeſidiis cinxerat. Hanc in inſulam de nocte irruptione facta, Hercules caedem facit, ac, uallo ſuperato, praetorē in triumpho ducit. Tandem a Xyſto I V. Pont. Max. rebus compoſitis, Hercules pacatiſſimo ſtatu annos circiter uiginti potitus eſt. Et uero melior certa pax, quam ſperata ex bello uictoria. In pace merita ſpectantur: ubi proelium ingruit, innocentes, ac noxij aeque occidunt. Pax, aureum, atque adamantinum uinculum eſt: bellum; diſſolutio non amicorum modo, ſed affiniū prope, ac propinquorum. Pax, parēs, & altrix litterarum, ac bonorum omnium; bellū, uaſtitatem, ſolitudinem, orbitatem agris, opidis, ciuitatibus, Regnis ipſis affert. Non igitur mirum, ſi pacem nonnulli ueterum etiam pecunia redemerunt. Commodus hoſtes ſibi pecuniis deuinxit, ſecuritatemq. redemit apud barbaros, propoſita mercede uenalem pacem habentes: & Alexander Seuerus decreuit oratores mittere ad Germanos, bellum inferentes, de pace, qui pollicerentur, omnia illis Principem Rom. quorum foret opus, praebiturum, pecuniaſq. daturum magna copia. Quare Alexander pacē, foederaq. potius ab illis emercari, quam periclitari bello tendebat. In pace igitur Hercules maiorum ſuorū ſepulcro conditur, circa annum aetatis exactum ſeptuageſimum. Natalem enim diem ignorantes, ratiocinatione tēpora ſubduximus. Quod idem in nonnullis aliis facere coacti fuimus. Obitum igitur repetimus a partu Virginis ſupra Milleſimum quingenteſimum quartum.

HIE-

HIERONYMVS · TRISTANVS CASTELLVS

HIERONYMVS Triſtanus Caſtellus, Interamnae Nahartium, in Vmbria, clariſſimis ortus natalibus, Triſtani nomen, ob ſummam in patrem pietatem, atque ob eiuſdem maximum, maximis in rebus, conſilium, prudentiamque, ſecutus eſt: quod necem uiolenter illi illatam, auxilio Agapeti Caſtelli, nepotis, licet adhuc adoleſcentuli, & ex Dominis Papinij poſtremi, cui tali in negotio ſoli fidebat, uindicaſſet. Statura erat maieſtatis cuiuſpiam plena: animo ingenti, ingenio excelſo: qui, in primis ſuae aetatis annis, defuncto patre, in tutelam Andreaſſi Senioris patrui recipitur: quo duce, ſummã rei bellicae peritiam eſt adeptus. De eo, adiuncto Hieronymi nomine, in diuerſis inſtrumentis, uel Priuilegiorum, uel Inueſtiturarum ſub ipſo factis, & in Vicaria Neapolitana, atque Archiuio Aragonenſi, adhuc ſtudioſe aſſeruatis, honorifica fit mentio. Adoleſcentulus ſe aulae Ferdinandi I. Aragonenſis addicit: cuius etiam Coronationi, cum primoribus Italiae, ſingulari ornamento interfuit. Ea quoque aetate, teneriori licet, inter Conſiliarios, patris priſtinum locum obtinuit. Cuius merito, ac propriae uirtutis, tanto fauore Rex illum eſt complexus, ut illum non alio, quam Fratris, nomine appellare ſolitus eſſet, traditis inſuper in illius gubernationem multis prouinciis, nomine Viceregis: id quod multa illius Regni monumenta clare teſtantur. Quod Magni Conſiliarij dignitatem tenuerit, exſtat in Archiuio Aragonenſi, ut & Ducis Atrienſis, percelebris memoria.

Annos natus quattuordecim, militiae ſe dedit: atque ita gradatim in omnibus ſui temporis bellis ſemper honoratus exſtitit, ut eius & prudentia, & fortitudo omnibus in rebus clare appareret: ob quae a Rege multarum dignitatũ ſtatus obtinuit. Creatur Eques ex Sedilibus, deriuato honore ad poſteros. Creſcẽs ſic aetate, & uirtutum meritis ad annum quadrageſimũ primum, Generalis Locumtenẽs cataphractorum militum ſtatus illius Regni conſtituitur: quam dignitatem tunc temporis Principes tantum

uiri,

uiri,uel ſingulari aliqua uirtute ſpectati,ſperare poterant.In eam aeſtimationem illis temporibus uenit,ut omnes alios Italiae honoratos dignitate facile aequaret. Galearum formam longe commodiorem adinuenit: ut etiam tam hominum, quam equorum armaturam diuerſi generis magis expeditam, & minus grauem. Demum, re contra Turcos non procul ab Hydrunto bene geſta, maxime celebris factus eſt: conſorte Io. Iulio Aquauiua, Duce Atrienſi,eius prouinciae Gubernatore, expeditionis illius Imperatore, & uiro militaris rei experientia illius ſaeculi facile ſummo. Qui moritur anno Domini Milleſimo quadringenteſimo octuageſimo, in acie a ſclopetario tormento ictus. Aliquãdo impetrata a Rege uenia inuiſum patriam, in itinere apud Cantalicem forte interuenit pugnae,quae erat inter Reatinos, & Cantalicianos, cauſſa finium; dum ſeſe, tumultus ſedandi gratia,partibus interponeret,lancea in eius,non agniti,latus a milite Cantaliciano quodam adacta, decedit, iuxta imaginem in uia poſitam; quae etiamnum illic exſtat,morte egregij huius Equitis ſatis apud omnes illius regionis teſtata. Luctus non tam ſuae genti,quam exteris omnibus,maximus ortus eſt; praeſertim Regi. Accepto etenim,de eius interitu, nuntio, lacrymis profuſis teſtatus eſt, ſe ſe fratrem amiſiſſe, & Coronae ſuae fideliſſimum miniſtrum; &, quanto dolori amicis, tanto gaudio inimicis mortem eius fore. Ac,in teſtimonium ueri amoris,& aeſtimationis, qua apud ſe ſemper fuiſſet, Neapoli publice in Cathedrali Eccleſia, iuſta funebria, quibusmet interfuit, Regali munificentia perſoluit. Interitus eius luctuoſus,exemplo ſuis eſſe debet,& omnibus aliis magnis uiris: ſe ſe non temere ob quamuis leuem cauſſam,ſed tantum ob grauia negotia,uitae periculis exponere. Quia multi ſaepius hoc modo eã amiſerũt,ac ſibi ad maioris gloriae amplificationem uiam praeciderunt: quamuis illi nihilominus tantum gloriae culmen fuerit,quantum quiuis alius,ex eadem florentiſſima ſtirpe ortus,poſſederit. In qua quidem, omni tempore plurimi, non ſolum rebus bello geſtis, ſed, quod pluris eſt,uitae ſanctitate & innocentia clariſſimi uiguerunt uiri.Et praeſertim feliciſſima etiam facta,orto ex illa S. Anaſtaſio,Epiſcopo, & tutelari Interamnatum Sancto, circa annos Sal. DXXXVI. Nec ſilenda uidetur,Caeleſtini II.Caſtelli Pont.Max.honorifica,

ca, licet breuis, memoria : cui Pontificatum ſumma uirtute adepto ; obſtitit ad res maximas peragendas Mors, honeſtarum, & laudabilium actionum funeſta interruptrix, Millesimo centeſimo quadrageſimo quarto anno a reparato humano genere.

Cum in eo ſimus, ut Familiae honorificentiſſimae homines, & praeclara geſta laudemus, non ab re forſan erit, ſi Togatis praecipuis quibuſdam uiris enumeratis Militares quoque adiungamus. Inter eos igitur, qui, praeter antiquos, quos nimis longum eſſet recenſere, militari gloria proximiores noſtris temporibus praeſtiterunt, non extremus fuit Andreas, eius nominis Tertius, & Hieronymi proauus. In Ducatu etenim Spoletano partium Guelfarum Dux erat; omnes Interamnatum arces, & caſtellanias quas uocabant in ſua ditione poteſtateq. retinens. Eques auratus creatur a Pontifice, a quo, ob eius ſingularem uirtutem, honoratus eſt enſe, & pileo: quae non niſi Regibus, aut ſummae nobilitatis uiris, concedi ſolent. Erat illi frater Galeottus, Ladislao Regi Neapolitano acceptiſſimus: ſub quo longum tempus militauit, in honorificis militiae praefecturis conſtitutus. Et, praeter alios ſuis laboribus debitos honores, Comes inſignitur Terrarum Arnulforum: in cuius priuilegij inſtrumento, etiam Magnus Regis Conſiliarius appellatur: accepta facultate utendi inſignibus Regalibus. Quem quidem dignitatis gradum, dum uixit, retinuit: ſed poſt Regis obitum Comitatus Terrarum Arnulforum ad primos dominos, quaſi iniuſte ſibi ereptum cauſſantes, ſubito relapſus eſt.

Pater horum erat Iannutius, qui Eccleſiae multa dominia, ab aliquibus Tyrannis occupata, recuperauit. Effecit ille ſua auctoritate, ut ciuitas Interamnatum Sedi Apoſtolicae ſe libere dederet. Opera etiam, & conſiliis huius prudentiſſimis, Aegidius, Legatus Apoſtolicus, in omnibus grauioribus negotiis Eccleſiaſtici Status uſus eſt.

Iannutij pater erat Andreas ſecundus, filius iorij, Dominus Papinij, qui circa an. Dom. CIↃ CCC XXV. in Vmbriae regionibus Guelfarum partium dux erat. Is inter ciues Interamnae, auctoritate Apoſtolica Officium Banderariorum, uti nominabantur,

bantur, ampliſsimae poteſtatis inſtituit: quo ciues Interamnates Remp. ſuã magna ex parte regebãt: eoq. illa quodã obſeruantiae uinculo, & quaſi dulci, adumbrataq. dominationis ſpecie, deuinctos, poſt etiam ducentos & quinquaginta annos, erga Familiae ſuae poſteros, reddidit. In quibuſdam publicis inſtrumentis, Illuſtris, appellatur; qui titulus eo tempore rarus, & non niſi celebrioribus Italiae uiris, raroq. admodum, dari ſolitus; ex quo non ſolum propriae eius uirtutis ſplendor, ſed ſanguinis uetuſta nobilitas clariſſime oſtenditur.

Ante hos memoratur circa annum Chriſti Milleſimum ducenteſimum quinquageſimum, Arronicus, Nicolai Caſtelli, Gorij aui, frater germanus, & filius Tebalduccij, aemulus maiorum ſuorum Principum Naharſium fortitudinis, imperijque, & dominandi cupidine flagrans. Is, cum multa fruſtra tentaſſet, demum principatum in Patria aſſecutum multos annos retinuit. Poſtea, totius Vmbriae Gibellinorum ducum facta in eum conſpiratione, miſerrime trucidatur: maximaq. hoſtium impietate, ſemiuiuus adhuc in atrio ſuae arcis includitur, ac tumulatur, eiusq. corpus bouina pelle inuolutum conditur, iuxta templum Sancti Andreae, ſub pede columnae, quae hodieque, maiori forſan inimicorum probro, quam ipſius ignominiae, illic uiſitur. Haec arx ſita erat ad Narem, prope muros opidi, in regione a Caſtello dicta: quod primi illius ſtirpis, & loci eius, ut etiam aliorum plurium in Vmbria, perpetui Vicarij, ſedem illic haberent.

De Hieronymo, ita cecinit Ioſephus Caſtalio, Muſarum alumnus:

Commiſſas inter ſe Vrbes furialibus armis
Dum ſedare cupit, medium ſe millibus offert
Triſtani armipotens Hieronymus inclyta proles.
Finitimos uerum populos ſeruare ſtudentem
Teli acies allapſa uirum proſtrauit arenae:
Atque ita, qui innumeros ferro deleuerat hoſtes,
Occubuit caſu, dextraq. errante clientis.

Exſtinctum decus omne ſuum Nar flevit, & omnis
Vmbria plorauit pullis induta lacernis.
Parthenope cum Rege pio maeſtiſsima firmum
Amißum columen luxit, iuſtisq. ſolutis
Ad ſuperos animam cari praemiſit amici.
Magnanimi Ducis in terris rediuiua coruſcat
Gloria, praeſtantesq. acuit uirtute nepotes.

IO. ALOYSIVS. FLISCVS LIGVR.

QVAE a nobis hactenus allata ſunt noſtrorum temporum, aut ſuperiorum fortitudinis robora, pleraque maturioris aetatis fuere, & merito. Nihil enim plane perfectum eſt, ac ſuis numeris abſolutum in homine, niſi animi ardori iudiciū, ac conſilium acceſſerit. Demus illa naturae indagatoribus, omnia rerum initia minuta eſſe, ac deinde ſuis progreſſionibus augeſcere. Non enim, ut ſemen mandatum eſt terrae, protinus demetitur; ſed elicitur primum ſolo, ex eo herbeſcens uiriditas ſuo tempore adoleſcit: nec, ut ad articulos tormentorum gemma exſiſtit, continuo uua percipitur, ſed inde oriens paullatim ſe ſe oſtendit, poſt terrarum ſucco, atque ardore Solis, quae acerba fuerat, maturata, dulceſcit. Quin & natura in primis homines informauit, ut, primo ſui ortu, tenero eſſet, ac molli corpore, quod deinde, progrediente aetate, ſubcreſcens, robuſtius fieret. Quod ſi qui fuerint, qui aetatem praecurrentes ſuperauerint, uel quibus praecocis ingenij ad maturiora conſilia fuerit praecluſa uia, cur taciti praetereantur? Praeclara quaedam nimirū res eſt hiſtoria; qua, qui interierunt, uiuunt adhuc in hominum memoria, & partim exemplo ſuo ad praeclara poſteros promouent, partim ab ijs abſterrent, quorum uel opera, uel ipſos exitus animus perhorreſcit. Haec ego dum mecum cogito, ecce obijcitur ante oculos Io. Aloyſius Fliſcus, Sinibaldi filius, Lauiniae Comes, magnae potentiae, magnarumq. opum adoleſcens, qui, formae dignitate eximia, atque oris uenuſtate, oculorumq. amabili quadam hilaritate in ſe totius Genuenſis nobilitatis animos, menteſq. attraxerat. Erat uero illi in Vrbe ipſa acerrimus aemulus, quem ſibi Andreas Doria ſenior in filium adoptauerat, Ioannes nomine, cum quo non minus ſuae, quam patriae, ruinam creſcere dubitabat. Itaque uerſabat animo huius praeuenire conſilia, & periculum ſuum patriae libertati praeferre. De Petro Aloyſio Farneſio,

Placentinorum, ac Parmenſium Duce, triremes quattuor coemit, quibus cum ſub Paullo Tertio, Rom. Pont. mereret, eam ob cauſſam Romam uenerat. Sed in Liguria nullum eſt artificij genus, quo ille non uſus ſit in familiaritate domeſticorum Doriae, in Ioannis ipſius filiorum deliciis, atque amplexu, in omnis denique obſequij ſimulatione; ut ſenilem Andreae canitiem; quod eſt aſſecutus; eluderet. Effecit ille, ea arte inſignis. Sic enim ſe ſe effinxerat, ut machinationis ne minimam quidem daret ſuſpicionem. Ferdinandus Gonzaga, uir prouidus, ac temporibus illis Mediolanenſi gubernationi praefectus, ut clam acceperat, ita Andream certis nuntiis monuerat ea de re; numquam tamen ille adduci potuit, ut crederet, tam occulta in ſe conſilia tanta ingenij, morumq. ſuauitate, ac tam prope caeleſti adſpectu, obtegi. Interea, de nocte, pro more ſuo, Fliſcus, cum Vrbem paene totam laruatus, ac ludibundus, excurriſſet, domum reuerſus, ubi comperit capita nobilitatis, quibus epulum daret, cenam illis eam apparatam dixit, qua libertas patriae à Ioannis Tyrannide redderetur, atque, eam ut expediret facilius, ſibi ab eo inſidias paratas, lectis litteris, confirmauit. Vrgendum igitur rem patriam, & ſaluti propriae conſulendum, & communi: occurrendum hoſtis fraudibus, quibus ea nocte detectis, lux prima, quae ſuboriretur, patriae lucem redderet, & ipſis ampliſſimum decus. Non ſic Thyeſtis in cenam, caput ubi allatum filij uidit, expauit, ut hi perhorruere, uultu palleſcere, ac obmuteſcere, quid reſponderent, plane ignari; ut quorum circumſiſtentium armatorum horribilis offuſa oculis ſpecies aciem plane praeſtrinxerat. Plerique ex eis, libertatis ſtudio ducti, adhaeſerunt; alij, aliter libertatis nomen interpretati, metu diſſimulato, aſſenſum cohibuere. Hi duo dumtaxat fuere, qui, clathris occluſi, ac diligenti cuſtodia detenti ſunt, ne, dum res agitur, machinationem aut ſoluerent, aut aperirent. Illi ducis conſilia ipſa intempeſta nocte concepta expediunt. Voluit, ante quam Fliſcus his comitibus praeceps praecipitis item rueret interitu, miſer, ſe ſe in complexum dare Leonorae Cybo, nobiliſs. feminae, Laurentij, Maſſae Marchionis, filiae, quam ſibi in matrimonium coniunxerat. Eo, inquit ille, ſub his tenebris propero, unde, me redeunte,

deuote, uel laetiſſima, uel omnium feminarum infeliciſſima futura ſis. Illa uero, ut erat eloquentiſſima, ut quae ex ea ſtirpe naturae dona arte excoluiſſet, quae alias generoſiſſimas edidiſſet, pluribus conata eſt, ut arbitror, coniugem retinere. Parentis ſenectam, familiae ſolitudinem, leuitatem aurae popularis, incertos rerum exitus, hoſtium ipſorum uires, & inter lacrymas, ut ſaepe dolor quaelibet comminiſci ſolet argumenta ueteris nobilitatis, Innocētij Quarti, & Hadriani Quinti, memoriam forte obiecit. Verum, ut deliberatis nullus eſt conſilij locus, ille a gementis uxoris complexibus auulſus, eo, quo praecinctus erat, chalybe durior, ab eius conſpectu exceſſit. Mandat Othobono fratri, ut Sancti Thomae; Cornelio item fratri, ut Sancti Stephani portam occupet: Triremium praefecto imperat, ut ad fauces inferioris portus appellat: Thomae Aſſareto mandat, ut, celoce uectus, cum aliis in interiorem portum ſe ſe inſinuet: eo ſe cum Verrina, qui particeps unus erat conſiliorum, & Hieronymo fratre, terra properare. Res erat plane acta: nauigabant in portu: occupata praeſidia: refractae fores: expedita omnia: uia facta, ſine ui, ac ſine ſanguine, ad eam, quam ille ſpem animo conceptam praeterlabentem uidit. In triremibus tumultus factus a captiuis, ut fieri ſolet, libertatis amantibus, idem praeſentia adoleſcentis ſtatim ſedatus. Inde ad ſuos reuertitur Fliſcus, tabula, qua ad litus ex triremi praetoria deſcenderet, inſtar pontis, in mare prolapſa, armorum grauitate preſſus, tribusq. coniurationis conſciis adiunctus, & ſociis, ſpes omnes ſecum in altiſſimos aquarum gurgites attraxit, penitusq. demerſit. Eodem paene momento Io. Doria in noctis ſilentio ab Andrea Seniore (ea enim aetas ſolet eſſe uigilantiſſima) excitatus, inermis ad S. Thomae fores confoditur. Vide, quam minimis caſibus magnarum rerum momenta uerſantur; &, quam ſecreta utriuſque adoleſcentis in pectorum latebris caecaeq. noctis caligine abdita, penituſq. retruſa, unum, idemq. una nox, unum momentum clauſerit. Id uero in Fliſco fortaſſe exitum habuiſſet, niſi ita ille occultaſſet animi ſui ſenſus, ut ſuos etiam latere uoluerit. Itaque, territi nuntio mortis ducis coniurationis, alij ſibi fuga conſuluere, alij ſecuri percuſſi, ut Hieronymus, & Verrina, uitam finiere. Eodem tempore arx ipſa, quae a Lo-

douico

douico Duodecimo Gallorum Rege in loco omnium, qui toto orbe terrarum ſunt, natura munitiſſimo conſtructa fuerat, cum ciuitatis praeſidio immineret, turbulentorum hominum receptaculum, plane deleta eſt. Dum haec aguntur, & fama de tumultu Genuenſi diuagatur, Iulius Cybo, qui paullo ante ui parenti Maſſae Marchionatus ditionem occupauerat, Fliſci, ac Ioannis Doriae ſororius, duobus millibus hominum Genuam cogitat: tum, utriuſque leuiri caſu cognito, trecentos dumtaxat eligit, quos, ubi Genuam uenit, praeſidia Andreae patris patriae affini ſuo reliquit. Inde Iulius Comitiſſam infeliciſſimam Fliſcam, eandemq. ſororem, Maſſam deducit. Et uero mirandum, quam his, quae retulimus, id cohaereat, quod, eo, qui ſecutus eſt, anno, Milleſimo quingenteſimo quadrageſimo octauo contigit. Iulius, qui horum caſuum experientia magiſter eſſe poterat, ut ſpectator actae paene domi ſuae tragoediae, ipſe quoque ſe in ſimillimum genus machinationum inuoluit. Nam, cum is Caroli Quincti imperio, cui in Alemania, & Durae potiſſimum, in acerrimis proeliis, operam ſingularem nauauerat, coactus Marchionatum Maſſae reſtituere, in ſpem praemij laborum militarium, tam acerbe tulit, ut ab Imperatore diſcedens, oblata occaſione, ut ſibi uidebatur, opportuniſſima, Gallis Genuenſem Rempublicam obtulerit. Rem ille Venetiis cum Galliae oratore, atque Orhobono, Aloyſij Fliſci fratre, communicauerat: quod conſilium recenti plaga eius Reip. & militum copia facilem exitum habiturum uidebatur, niſi coniurationis conſcius Paullinus quidam Etruſcus prodidiſſet. Itaque ad Apuae captus Iulius Mediolanum ducitur, ubi paullo poſt moritur. Tres igitur leuiri. ad patriae mutationem adſpirantes, in patriae ipſius ſinu, uix anno uno, exſtincti ſunt. At Aloyſius, ut eius ſit concluſio, cuius fuerat initium, IIII. Non. Ianuarij Milleſimo quingenteſimo quadrageſimo ſeptimo eodem momento temporis, & Genuae Princeps fuit, idemq. exſtinctus, cum annum aetatis ſuae uix uigeſimum attigiſſet. Expiſcati nautae cadauer, uix poſt diem quartum repeiere pallentem iuuenem quaſi florem uere nouo renidentem. Erat thorace aheneo inaurato, anſulis ferreis armatis brachiis, galea indutus, ad latus enſe praecin-

praecinctus, clypeo ad ſiniſtram pendente, ita denique inſtructus, quaſi Mars, aut eius alumnus iterum ad certamen eſſet proditurus. Doria, qui in patriam, ex qua tumultu aeger diffugerat, eundem in locum coniectum cadauer iuſſit in limo per menſes duos iacere, ac tum demum in altum mare proiectum eſt: ut, qui tanti animi fuerat, idem haberet ampliſſimos ſepulcri terminos.

IOANNES . AVCVTHVS BRITANNVS

IOANNES Aucuthus, uir Britannus, nō apud ſuos modo, ſed etiam apud Gallos, ueteres hoſtes, clarus, occaſione belli Belgici in Italiam uenit. Porro Barnabas Vicecomes, cum temporibus illis in agro Mantuano caſtra poſuiſſet, militarem Britannorum diſciplinam in Aucutho experiri ſtatuit. Huius in pluribus proeliis probatam induſtriam, artemq. in mittendis ſagittis admiratus, (non dum enim tormenta bellica adhibuerant) cum indies incrementa amoris accederent, auctis ſtipendiis, filiam quoque ſpuriam ſpopondit. Conciliauerat praeterea ſibi beneuolentiam omnium Italorum Principum. Ea enim uis eſt uirtutis, ut, licet oculis non ſpectetur ipſa, ab hoſtibus etiam amorem eliciat. Hoc tempore Aegidius Carilus, ad pacandam Italiam miſſus, inierat in Barnabā foedus, qui pacem per Reges petere coactus fuerat. Sed pax non diuturna fuit. Nam Aucuthus, Vicecomitibus militans, cum Florentinos bello inceſſeret, eorum copias apud Miniate opidum grauiter profligauit. Hanc ob rem Aegidius Legatus Thomam Obicionem, egregium copiarum ducem, cum tribus millibus equitum, & ſatis magno peditatu, Florentinis auxilio mittit. Pugnatum eſt inter Arretium, & Derthonam, dubio Marte, horis quattuor: ac demum Thomas ita hoſtes ſuperauit adnitente peditatu, ut ex ſex millibus equitum, qui cum Britanno militabant, pauci euaſerint, atque ipſe dux in deditionem uenerit; quem tamen Vrbanus Quinctus, e carcere emiſſum, copiis illis omnibus praefecit, quae ante ſub Aegidio militauerant. Deinde, ſub Gregorio Pontifice, receptis, inſigni cum laude, Togatae Galliae urbibus, in praemium nauatae operae, quinque opida, & in his Cotignolam, ueterem Sfortianorum Comitatum, retulit. Cum uero Italiae Principes in proeliis exterorum potiſſimum uiribus niterentur, facile hominem ad ſuas partes traxere. Meruit ſtipendia Florentinorum, a quibus non multo poſt ad Piſanos, atque iterum ab his ad Florentinos rediit,

quibus plane tamquam ad ſcopulum adhaeſit. Dux Britãnus hoc tẽpore adeo res Piſanorum afflixerat, ut omnibus belli calamitatibus fracti uictorum arbitrio ſe dederint. Manſere illi ſub Florentino imperio annos octuaginta ſeptem. Eluxit ad iugum excutiendum Simonis Orlandij plena lacrymarum oratio; accidit que, caſu ſane memorabili, ut eadem hora, qua Florentini Mediceos patria, domoq. pellebant, ipſi quoque a Piſanis, pari uindicandae libertatis ſtudio, pellerentur. His temporibus Gregorius Vndecimus Romam redierat. Fuit dies notatus in faſtis Idibus Ianuarijs a partu Virginis Milleſimo trecenteſimo ſeptuageſimo ſexto, Pontificatus ſui ſeptimo; migrationis uero Romanae Curiae in Gallias ſeptuageſimo. Praeuiderat enim ſanctiſſimus Pontifex, ut a puppi gubernatoris abſentia nauem periclitari, ita, ſe procul ab Italia agente, plurimorum bonorum ſequi naufragium. Excipitur in patrium ſolum incredibili populi Romani laetitia Pontifex Max. uultu, geſtu, publicis acclamationibus reſtitutum parentem non ſine lacrymis matronae ſalutant. Et uero Vrbis moenia, templorum parietes, ipſae baſilicae ubique ruinam minabantur. Redeo ad Aucuthum, ex cuius caſtris nobiliſſimi, qui deinde celebrati ſunt, Itali duces prodierunt.
Quamquam Britanniae non id tantum certaminis genus debere nos fateri neceſſe eſt; ſed illud etiam domeſticae pugnae ſimulacrum, quod in diſceptatione poſitum, ratione, argumentiſque agitatum, ſine ſanguine Scholaſticum uocauere. Id inde auctũ, illuſtratumq. accepimus. Inde enim prodiit Ioannes itidem ille, cognomento Scotus, qui in Oxonienſi ſchola ſubtilitatum aculeos unus inter ceteros incredibili ſtudio adinuenit. Porro plurima nos Itali, quod tandem fatendum eſt, debemus exteris. Omitto multa inuenta. Satis ſit meminiſſe Graecarum litterarum, quas ad nos Chryſoloras Byzantius attulit, quae annis ante quingentis apud noſtros conticuerant. Hinc gymnaſia excitata, inſignibus uiris prodeuntibus, quorum aemulatione maxima ingenia floruerunt. At Britannia, unde erat oriundus Aucuthus, inſula eſt omnium, quae ſunt in mari Oceano, praeter Taprobanam, maxima, ex qua ad ſacrum bellum nobiliſſima acies aliquando properauit: beata eſſet, ſi uel ſolam religionem Romanam, maiorum exemplo, retineret. Ex ea certe, quos noui, noui autem plurimos, quaſi angelos cum illo uocare ſoleo mo-

rum integritate ſingulares. Senio confectus, militiae pater, ac magiſter, Aucuthus, cum non amplius armorum grauitatem ſuſtinere poſſet, diem ſuum clauſit Florentiae, Milleſimo trecenteſimo nonageſimo tertio. Cuius corpus lugubri pompa in templum maximum delatum eſt. Eius ego ſoli Britannici calamitatem his temporibus miſeratus, ſic eius robur Vates exoptabam:

Primus ad Auſonios pietate inſignis, & armis
Rettulit antiquum nobile Martis opus.
O utinam nunc illa animis uis priſca maneret,
Aucuthe, Anglorum, o ſplendor, & Auſoniae;
Pro patria, quae in nos fuerant tua tela, redirent:
Sic pater Auſoniae, ſic patriaeq. fores.

IOANNES . BENTIVOLVS

IOANNES Bentiuolus,Hannibale patre,ciuiũ coniuratione, trucidato, exceptus a Sanctio,qui ſe in Bentiuolam familiam adoptauerat,& honorifice eductus,inſtitutuſque, cum praeclaram indolem praeſeferret, ciuium ſuorum acclamatione,accedente aura populari, in Principem eligitur; Genebra Sfortia, Conſtantij, Piſaurienſis reguli, filia, ſupra ſexum plane animo uirili femina,in coniugem datur. Huius conſilio cum eſſet Bentiuolus ingenio facili, accenditur,ut Maluetiorum coniurationem ulciſceretur, infenſis ſibi ciuibus ad unum e medio ſublatis. Spes erat,ut undique tuta eſſent omnia,qui nobili ſobole illuſtribus, Italiae familiis propinquitate coniungeretur. Interea Galeottus Manfredus occiditur.Itaque in uiduitate relictae filiae ſubſidium accurrit Bentiuolus. Erat tunc ea ciuitas in armis poſita. Cum uero ſe ille in caſtrum recepiſſet, inſequentibus hoſtibus,in carcerem truditur,unde uix,precibus Florentinorum, ereptus eſt.Hoc tempore Caeſar Borgia Bononiam uenit: uerum is, re infecta, abiit. Secutus eſt Borgiam Iulius Secundus Pont.Max. qui,ut fuerat antea in armis egregie uerſatus,e Romanis ſedibus,ingenti exercitu, auxiliaribus Gallorum copiis, in Inſubriam proficiſcitur. Plane contra ſtimulum calcitrat,qui Pontifici repugnat. Et uero ſacrorum Principi, ob ſanctitatem uniuerſis gentibus religioſiſſime uenerando, obtemperare par eſt. Is,ubi ſemel conſecratus, &, nouo deſumpto,nomine, luſtratus,paſtoralem lituum praefert, gemmatoq. apice refulget, quaſi mortalitate depoſita,auguſtus, ac plane diuinus efficitur. Habemus ab antiquis uſque tẽporibus etiam apud Ethnicos uiolatae religionis poenas,cum noſtris uerioribus abundemus.Afferamus illius antiquitatis exempla, ut inſitum diuinitatis numen etiam illis comprobetur. Pyrrhus,Epirotarum rex,theſauros Proſerpinae apud Locros cum ſpoliaſſet,& pecuniam in naues impoſuiſſet, poſtera die ſaeuiſſima oborta tempeſtate, tota claſſis miſere diſſipata, diſiectaq. eſt, nauesq. omnes,quae ablatam pecuniam aduehebant,in Locrenſium litora reiectae ſunt. Tunc ille, uim numinis,ut ſibi perſuaſerat,reformidans,quod ereptum fue

IOANNES . FRANCISCVS GONZAGA

IOANNES Franciſcus Gonzaga, annum agẽs quartum decimum, Franciſco patri ſucceſſit, circa acceptam ſalutem Milleſimo quadringenteteſimo tertiodecimo. Is, cum eſſet ſtudioſiſſimus ditionis Eccleſiaſticae defendendae, ac propagandae, Bononiam acerrime defendit, ad eã ſatis iuſto peditum, equitumq. numero profectus, mandato Ioannis Pont. cuius auſpiciis tunc militabat. Nam Malateſta Ariminenſis, Ladiſlaum Regem ſecutus, eam Vrbem graui bello premebat. Ille uero, adiuuantibus Bononienſibus, grauia aliquot proelia cum hoſtibus commiſerat. Sequenti hieme Pontificem, Roma Florentiam, inde Bononiam, hinc Mantuam fugientem, ac tuta quaerentem, Io. Franciſcus Gonzaga ſplendide, ac magnifice ſuſcepit. Fuit uero, quod ab hoſtibus requirebatur, ut hoſpitem etiam honorifice deduxerit. Nam abeuntem cum magna parte copiarum Laudam Pompeianam, quo uenturum Vngariae Regem ſciuerat, comitatus eſt. Plurimum enim huic Principi fidebat Pont. Max. cuius fidem, & integritatem in bello Bononienſi perhorruerat. Cum uero minime tutum uideretur, Laudae immorari, mittitur Mantuam Gonzaga, ad parandos commeatus, urbemq. ornandam, quo nõ modo commodo, ſed Regio plane apparatu tanta multitudo hominum reciperetur. Hic, breui paratis rebus omnibus, Cremonam rurſus occurrit, ad quam urbem Pontificem, ac Regem perueniſſe intellexit. Inde Mantuam iter flectentes, populo per agros effuſo, opinionem omnium benignitate, & gratia ſuperauit. Venit Mantuam paullo poſt Sigiſmundus, ut etiam Imperator Tertius adderetur, cuius de aduentu rumoribus excitatis Coſſa, mactata ueſte, ſe ſe ab adſpectu Imperatoris ſubtraxit. Hoc tempore referunt à Sigiſmundo primũ Ioanni Franciſco Marchionis nomen, & inſignia Imperij; a Rocino uero Leones fuiſſe collatos. Ab Italia Sigiſmundus Caeſar Auguſtus in Germaniam rediturus, Andream Mafaeum, Comitem, & Equitem ornatiſſimum, uirum fortem, cuius opera eximia,

in

in rebus gerendis uſus fuit, multis cumulatum muneribus, cuius exſtant peruetuſta in ea familia diplomata, ſecum deduxit, id aegre permittente inclyto Principe Mantuano, eundem, cum e Germania reuocaſſet, opibus auctum, & honoribus, dum uixit, ſemper inter cariſſimos habuit. Poſt uero depoſitum Ioannem Vigeſimum tertium, legitime creato Martino V. ex Concilio redeunti idem Gonzaga uberrimos innatae in ea familia humanitatis, liberalitatisq. fontes aperuit. Viderint poſteri, non tantum in Gonzagis officij, quãtum ſaeuitiae in Gabrino Fundulio, Cremonenſium Tyranno, fuiſſe. Is, Mediolani, in medio foro, con ſpecta ſupplicij machina, cum ſecuri ceruices ſubiicere cogeretur, hortarenturq. homines pij, ut, ex Chriſtiana diſciplina, compoſito animo, uitae exitum ferret, male factorum paenitentia ſuſcepta, ille, contortis atrocibus oculis, dolere ſe affirmauit, maxime quod Ioannem Vigeſimum tertium, ac Caeſarem, hoſpitio exceptos, & in culmẽ praecelſae turris inuitatos, non praecipitaſſet: nimirum duo orbis terrarum lumina ſolius hoſpitalis menſae decus ſeruauit; ne eam ipſe foedaret, cui honoris cauſſa tertius conuiua eodem die fuerat adhibitus. Hoc ipſo tempore Martini Pontificis auctoritate pax cum Philippo Vicecomite, ac Pandulpho Malateſta, per Gonzagam, his legibus compoſita eſt, ut Pandulphus, perſoluto quotannis tributo, tamdiu Brixia potiretur, quod ei uiuere liceret; nulla in tabulis de ciuitate, quae merito ad Philippum deuolueretur, poteſtate relicta. Verum breui pax perturbata eſt. Itaque Gonzaga hominem deterrere pluribus conatus eſt, miſſis etiam legatis, contra ius fidem tueri. Quod ſi hominum auctoritatem contemneret, Deum ſaltem uereretur, quem ultorem uiolati a ſe foederis eſſet habiturus. Porro, fidem etiam hoſtibus ſeruandam, tum noſtri, tum ueteres memoriae prodiderunt. Reguli exemplum notum eſt omnibus. Huc accedant alia, quae, ut in pleriſque conati ſumus, a uulgo magis remota, ad uoluptatem, in has narratiunculas conſueuimus coniicere. Guido, Belgicae comes, eiusq. filius, carcere a Philippo, cui cognomento Pulcher erat, Galliae Principe, liberati, data fide, ſi ad officium populos, qui rebellaſſent, non reuocaſſent, ſe ad carceres redituros; re non ex uoto ſuccedente, nullius impulſu, contra ac Atilius, qui nouerat ſuperiorem ſenatum, & fidei datae uadimonio conſcientia agitabatur, fidem, carcere repetito, ſeruarunt;

runt; in quo breui Guido deceſſit. Gallorum item Rex Ioannes Primus, captus ab Odoardo Tertio, Britannorum Regis filio, pro redemptione uim auri pactus, cum, in Galliam reuerſus, tantum auri parare non potuiſſet, in certos Britanniae carceres reuerſus, breui occubuit. Maiori fide tenebatur Philippus. Hanc merito repetebat Gonzaga, quod data eſſet in manibus Pontificis, cuius dignitas apud ipſum, poſterosq. magno in honore haberetur. Vt minime mirandum ſit, ſi pacatum, ac florentiſſimum ſtatum maxima pace retinuerũt ſemper Mantuani Duces. Porro, fratrem, in proelio deſideratum, ipſe quoque ad maiora praemia paullo poſt ſecutus eſt, circa an. ſalutis humanae, Milleſimum quadringenteſimum quadrageſimum ſextum.

IOANNES . GALEATIVS VICECOMES

IOANNES Galeatius a prima pueritia praecocis ingenij argumenta reliquit. Nam, aduocata a patre, pro more, ciuium concione, in qua uiri grauiſſimi conſederant, de negotiis ciuitatis acturi, iuſſus puer ſapientiſſimum omnium indicare, cum oculos in ſingulos intendiſſet, ad unum Franciſcum Petrarcam, quem antea uiderat numquam, ſe ſe prouoluit. Quo adhortante, poſtea, cum adoleuiſſet, ſub patria diſciplina ſapientiae ſtudium mirifice adamauit, conductis liberalibus ſtipendiis omnium ſcientiarum profeſſoribus, qui in Ticinenſi gymnaſio, a patre erecto, iuuentutem inſtituerent. Inter ea lumina ſcientiarum enituit Petrus Philargus, Cretenſis, ſacrarum litterarum interpres, qui inde ſibi gradum fecit ad ampliſſimas dignitates, atque Alexander IV. Pont. eſt appellatus. Huius doctrinae uiros, & in rebus adminiſtrandis peritos, in conſilium adhibuit Galeatius. Quod ſane in Principe tanti faciendum eſt, ut ſtatuant uiri prudentes, non tam armorum, quam conſiliorum, uiribus ciuitates bene conſtitutas ſuſtineri. Difficile factu eſt, recte conſulere, ac potiſſimum conſilium dare Regi; ſed, cum eo homines animantibus praeſtent, in rebus dubijs, ac grauibus utemur. Eſt quidem finis ſtatutus rei cuilibet; qui quidem in dubitationem non cadit: de mediis dumtaxat, quae ueluti ad centrum lineae multiplicia eſſe ſolent, quaeq. ad illum nos ferunt, diligens, & accurata conſultatio eſſe debet. Porro, quae ad finem conferunt, quaeq. in poteſtate noſtra ſunt, ea non niſi a uiris peritis conſiderari poſſunt. De uectigalibus, de bello, de pace, de foedere, de indutiis, de praeſidiis aut reparandis, aut conſtruendis, de legibus aut condendis, aut abrogandis, ſi denique de annona ſit deliberandum, in quae capita potiſſimum publica incidit conſultatio, ab his, qui haec norunt, iudicium ferendum erit. Porro, in ſuſcipiendo bello non illa tantum conſideranda uidentur,

utilitas,

utilitas, & facultas; ſed etiam honeſtas, quae una caput eſt ce-
terarum, & a pluribus praetermiſſa. Si, ſubdola pace reiecta, bel-
lum ſuſcipiendum fuerit, utile expendimus. Facultas ex plu-
ribus conficitur, ut bonum ex uariis circumſtantiis, quarum ſi
uel una deſideretur, deflectat a ſui recta ratione, neceſſe eſt.
Duo numerant potiſſima, inſtructas copias, ac pecuniam; quae
belli neruus dicta eſt. Copias, ſi terra pugnandum ſit, diuidunt
in equites, ac pedites; illos in cataphractos, ac leuis armatu-
rae milites; hos, in haſtatos, ac triarios, & alios, ſi qui ſunt, mi-
litares ordines. Haec omnia honeſto metimur. Nec enim no-
bis utile eſſe poteſt, quod iniuſto bello quaeritur, neque facul-
tas ulla eſt ad aliena uſurpanda. Itaque Orientis Tyrannum
merito perpetuum hoſtem habemus. Is enim iniuſto titulo Hie-
roſolymam poſſidet, ac ſacroſancta illa loca, quibus Impera-
tores noſtri potiebantur. Fui in conſilio longior: in quo dando
nemo longus uideri debet: ut, tanti uiri exemplo, eorum, quae
in deliberationem cadunt, conſultationem a uiris doctis ca-
piamus. Quod inſtitutum cum ſequeretur Galeatius, non mi-
rum eſt, ſi ex uoto plerumque euentus ceciderunt. Nihil ille ſi-
ne prudentum conſilio agebat. Itaque Scaligeris Veronam, ac
Vicetiam, Carrarienſibus Patauium ademit, Franciſco ſenio-
re in Modoetium carcerem coniecto. Praeterea Taruiſium,
Feltrium, Bellunum, montanaq. opida, una cum Tridento, in
poteſtatem redegit. Peruſini, & Aſiſiates, ſe ſe illi dederunt.
Senenſes, taedio incertae libertatis, ad eius auctoritatem, Pi-
ſanorum exemplo, confugiunt, cum nec etiam Lucenſes eius ab-
nuerent imperium: quin etiam Gallos, per Iacobum Vermium,
ad Alexandriam, ipſo etiam duce interfecto, delet. Caeſa-
rem ab Alpibus ſe demittentem repellit. Denique primus ſuae
gentis dux nuncupatus, ad eum honorum, bonorumq. om-
nium cumulum adſcẽderat, ut non niſi de ruina extimeſcendum
uideretur: quam eo quaſi praeſidio familiae ſublato Viceco-
mites contraxere. Nam, cum illi uiginti ſex circiter urbes ſub-
ijcerentur, eo decedente, praefecti caſtrorum dominium fu-
turis heredibus praeripuerunt. Anno aetatis quinquageſimo
quincto, cum imperaſſet uiginti quattuor, in deſiderio rerum
maximarum, a ſuis collacrymantibus deſideratus eſt, in arce

Melenniani, Romana uia, ſupra Lambrum, Pridie Non. Septembris, anno a partu Virginis ſupra Milleſimum quadringenteſimo ſecundo. Inuſitata pompa elatus eſt, ex aerario publico, opidanis etiam legatis atra in ueſte comitantibus, ac uiginti millibus funalibus cereis, & eo amplius, circa pyram collucentibus. In Carthuſiae templo, cui latifundia uiuens reliquerat, humatus eſt.

IO. IACOBVS . TRIVLTIVS

IO. Iacobus Triuultius, ex nobili Mediolanenſium familia ortus eſt; in qua tẽpus fuit, cum eadem aetate Orbis terrarum Cardinales tres, Archiepiſcopos decem & ſeptẽ, Imperatores exercituum duos, cohortium militarium praefectos ſane plurimos eſt admiratus. Eius pater, ne antiquiſſima uidear adduxiſſe, Antonius Triuultius fuit, qui, cum uaria egregie geſſit, tum primis Alphonſi Regis copias in Piceno profligauit, cepit, ac trans Aternum fugauit, miſſus a Franciſco, Mediolani duce. Filius uero Iacobus, ipſa oris dignitate grauiſſimus, Coriolani exemplo, hoſtibus erat formidoloſus, ac C. Mario ſimillimus, de quo legimus, ſenem, atque inermem, ſolo uultu, ac uoce, Cimbrum in ſe armatum irruentem perturriſſe, ac penitus fugaſſe. Sed, inter inſignia argumenta huius militaris diſciplinae, illa ſunt, quod Romani imperij in primis defenſor, ac propugnator fuit: quae laus in milite noſtro ſemper mihi prima uiſa eſt, ac ſumma. Nam, cum Innocentius IIX. a Lodouico Sfortia, qui Morus nuncupabatur, auxilia poſtulaſſet, contra Buccalonum, Auximatum Tyrannum, Triuultius miſſus eſt, qui eum captiuum in triumpho Mediolanum deduxit. Porro Auximum; locus natura, & praeſidio munitus, unius Triuultij arte domitum eſt. Valles, aggerũ montibus aequati: tormentis hinc inde diſiecta moenia: opidani ad deditionem compulſi. Piceno redeuntem Pont. Maximus alacri uultu exceptum, donatumq. magnis muneribus, dimiſit; inde maiores dignitatis honores relaturus, niſi caſſidem ferream, ad arma natus, pacis commodis praetuliſſet. Fuit tanti ducis uita ita agitata rerum uarietate, ut nullius magis. Franciſco Sfortiae filio, & ante, & poſt adeptam gubernationem Mediolanenſem, cariſſimus fuit. Apud Galeatium uero, qui Franciſco patri in Regno ſucceſſerat, ita gratia praeſtitit, ut eum inter praecipuos ſodales habuerit. Ad maiora Triuultius gradum ſibi fecit ſub Bona, Galeatij coniuge. Siquidem, poſt Galeatij mortẽ, in eorum adſcitus eſt numerum, qui priores partes in Principatus adminiſtratione tenebant. Ceterũ, his ſucceſſibus plurimum etiã addidit, poſtea quam Mediolani cura ad Lodouicum Sfortiam;

Galeatij fratrem, tranſlata eſt. In omnibus enim tam externis, quam domeſticis bellis, quae Lodouicus ſub nepotis perſona geſſit, primarios honores Triuultius ſuſtinuit. Haec quidem pleraque, in patria, & pro patria glorioſe geſta, quae eadē parens haud multo poſt nouercam ſe ſe praebuit, cum ea, quod homini grauiſſimum eſſe ſolet, extorrem patriis finibus, defenſorem ſui, atque alumnum cedere coegit. Itaque ab Aragonenſibus ad uitam ſuſtinendam quaerere coactus eſt neceſſaria, quae illa ultro ac liberaliter filio concedere debuiſſet. Non longe poſt Triuultius exſilij ſedem altius euexit; ab illis ipſis Regibus Neapolitanis inter primarios militares duces adſcriptus. Quorum res dum ſtetit, nihil munificentius optare potuit a Carolo I I X. Galliae Rege, Neapolitani Regni imperio ſuſcepto, benigne exceptus, quem in Galliam redeuntem per Italiae fines inter armatos populos, hoſtilesq. campos, parua manu Aſtam uſque, ideſt ſuis, reſtituit. Deinde Lodouicum X I I. iuuit maxime, ut iure hereditario Mediolanum reciperet. Praetereo, ut ad Petram, ueluti belli propugnaculum, ſe ſe oppoſuerit. Quamquam in his expeditionibus ſocios habuit, ut & cum e Ioannis Bentiuoli manibus Bononiam extorſit, ac Iulio I I. Pont. Rom. liberam reſtituit. In quo bello Caroli Amboſiae uirtus maxime enituit. Quo igitur tanti ducis fama non peruaſit? Vix ſe ille oſtenderat, cum, repente diſſipato hoſtili exercitu, uictor exſiſtit, rebus ſuis omnibus non modo ſaluis, ſed etiam plane integris. Fuit enim hac laude clariſſimus, quod ſaepe ſine ſuorum uulnere ingentes hoſtium copias profligauit; cum, uix diſtricto gladio, Ducis nomine audito, hoſtes nullo proelio fugarentur. Illud certe ipſius fuit ſingulare, ac propriū, quod, in patriam reuerſus, in eorum bonorum poſſeſſionem uenit, quorum opera factum fuerat, ut ipse patria careret. In Galliam proficiſcitur, una cum Iuliano de Ruuere S. R. E. Cardinali ampliſſimo. Quo tempore ei Pontificiam dignitatem praedixit Frāciſcus ille de Paula: cuius res praeclare geſtas Euangeliſtae Palotto, itē & Cardinali, dum obſignandis libellis eſſet praepoſitus apud Sixtum V. Pont. Max. paullo ante, quam is e uiuis excederet, magno uolumine dicauimus. Franciſcus uero, uitae ſanctitate clarus, ex Calabriae finibus a Lodouico X I. in Galliam accerſitus, cum nullam ex philoſophorum ſcholis, aut Theologorum diſciplina, eruditionis partem hauſiſſet, tamen diuinitus inſtitutus, ſupra

pra quam credi poſſet, de rebus omnibus, & plane altiſſimis, loquebatur. Supra diximus, quemadmodum Triuultius in Galliā uenerat. Inde Lodouicum X I I. ſecutus, in Italiam reuerſus, curauit, ut Mediolanum iure hereditario debitum reciperet. In quo inſtituto ſuſcepto ea ingens gloria fuit, quod Lodouicum Sfortiam captum in Galliam ouans abduxit. Quo facto inſigni, Marescalcus, ideſt equitum magiſter, creatus eſt. Haec quidem militaris animi, illa in litteras animati exempla maxima. Litterarum enim ita ſtudioſus fuit, ut, ſtupentibus omnibus, tantus dux publica gymnaſia celebrarit Cn. Pompeium Magnum, triumphis de tribus orbis terrae partibus reportatis, cum ex Aſia decederet, uictis potentiſs. Regibus, domitis quam plurimis, ac bellicoſiſſimis nationibus, Rhodum urbem ueniſſe ferũt, optimarum artium ſtudiis florentem, adiſſe omnium gymnaſia, talento cuilibet diſtributo: eundem Athenis Poſidonium inuiſiſſe, nec perhorruiſſe exedris philoſophorum eos ſubiicere faſces, quos neque Mithridates, neque Tigranes ſuperaſſet. Quid Cato? Relicto exercitu, ad Athenodorum nauigauit. Sed ſuauiſsimo litterarũ otio diu frui non potuit ſapientiſsimus, ac potentiſsimus Imp. Nam, qui toties Alpes pro Galliae Regibus tranſcenderat, in ſumma hieme, niuibus undique rigentibus, accedente quoque animi intimo dolore ſuſpicionis iniectae Franciſco Regi de renouati foederis pactione, quaſi cauſſam dicturus, ad Regem properans, ſenex, ſeptuagenario maior, exſtinctus eſt. Conditur Mediolani in aede Nazaria, tribus ſuae, circa Chriſti ortum Milleſimum quingenteſimum decimũ quartum.

IO AN-

IOANNES . VITELLESCVS

IOANNES Vitelleſcus, Corneti, Tuſcorum opido, honeſto genere natus, praeclara in primis indole, poſt Tuſcanellenſium Tyranni obitum, cui, ob linguae haeſitantiam, Tartaliae cognomentum fuit, apud quem & a ſecretis fuerat, & in grauioribus negotiis obeundis operam ſuam praeſtiterat, unius Palladis ductu, in Martis aciem, quod nouum eſt, & inſuetum, penetrauit. Quamquam non me latet, omnes omnium aetatum Imperatores, qui res praeclaras geſſerunt, aut ipſos doctiſſimos fuiſſe, aut certe uiros doctrina illuſtres ſummo amore fuiſſe proſecutos. Neque fere alij ſunt, qui litteras oderint, niſi qui, uita per ignauiam, ac turpitudinem acta, conſcientiam poſteritatis reformidant. Vt non minus uere, quam eleganter, ceciniſſe uideatur antiquus Vates:

Gaudet enim uirtus, teſtes ſibi iungere Muſas:
Carmen amat, quiſquis carmine digna gerit.

Vix Vrbem attigerat Vitelleſcus, quae uirtutem etiam latentem in lucem, ac proſpectum prouehere ſolet, cũ a Martino Pontifice Protonotarius creatur. Quo defuncto, ab Eugenio Patriarcha Alexandrinus, & exercitus Romani Legatus eſt renuntiatus. In hac dignitate conſtitutus, Picenum ingreſſus eſt una cum Andreaſſo Caſtello, eius collega, qui praeter ſummam generis nobilitatem, nec Vitelleſco, nec cuiuis praecipuo militum duci illius tẽporis, rei militaris peritia, ceteriſq. animi dotibus, quae in maximo equite deſiderari poſſunt, minime impar erat. Duo igitur belli fulmina, militiaeq. ſidera, Malateſtae Piſaurum, ac Senogalliam ſubtrahunt, omnemq. lapidem mouent, ut Forum Liuij, & Aſiſium occupent. Interea pax inter Pontificem, & colligatos, cum Vicecomitibus celebratur, Milleſimo quadringenteſimo trigeſimo quincto. Vitelleſcus uero & Andreaſſus intenti Romanae ditioni propagandae, Iacobum Vicanum, Vrbis praefectũ, pluribus circa Forum Caſsij opidis imperantem, una cum Conrado Trincio, Fulginatum Tyranno, in arce Suriana ſecuri percutiunt. Porro Trincium, Fulgineo obſeſſo, ac noctu re-

cluſis foribus, in triumpho breuiori uia per Hortinum pontem duxiſſe credimus. Fuit uero ea arx, in qua Nicolaus Tertius Pont. diem ſuum obiit, ut lego in Topographia Fabricij Roſcij, aui mei ſane nobilis, in Faliſcorum finibus, ne quis peruetuſtum Faliſcorum ordinem, qui eſt in Etruria, fidem faciente Hortina inſcriptione, alio temere, ut non nulli fecere, traducat. Liuius libro decimo, Fabio IV. Coſ. quod is aperuiſſet Ciminiam ſiluam, uiamq. per deuios ſaltus Rom. bello feciſſet, non minore totius populi conſenſu, quam Senatus, prouinciam Etruriam extra ſortem decretam fuiſſe confirmat. Et uero adhuc nemoroſa illa iuga ſpectamus. Sed eſt, cur Fulgineum paullulum reuertamur. Haec enim urbs Eugenio Quarto Pont. Max. Romanae Eccleſiae eſt reſtituta. Ferunt eius Vrbis regulum, uirum pium, qui futura praediceret, conſuluiſſe de Fulginei ſucceſſu: reſponſum accepiſſe, tunc demum poſteros ea ſede priuandos, cum boues circa Vrbis illius moenia uolitaſſent. Id fieri non poſſe exiſtimans loci Tyrannus, regnum ſibi perpetuum pollicebatur. Sed ecce tibi Ioannes Vitelleſcus, Patriarcha Alexandrinus, urbem obſidens, fidem fecit reſponſo. Explicatis uexillis, uentoq. agitatis, in quibus par boum impreſſum erat, magnus ciuitati terror incuſſus eſt: erat enim omnibus notum uaticinium: nec multo poſt ea urbs dedita eſt. Sed redeo ad hiſtoriam. Vitelleſcus, & Andreaſſus, eos perſecuti, qui Romanam ditionem uexabant, ad unum omnes ſuſtulere. Inter eos fuit Antonius Piſanus, qui, quod Priuernum in Volſcis occupaſſet, ad altiorem oleae ramum ſane faciuius, ſed ut honeſtius, ſplendidiusq. penderet, ut ille per iocum iactabat, duplici capiſtro ſuſpenſus. Deinde Praeneſte, fatigatum, ſitq. enectum, difficili obſidione cepere: tum Aquilae hoſtem in fugam coniecere atque Arpinum, M. Tullij patrium ſolum, ampliſſimosq. totius Latij campos, Pontificis imperio, ac poteſtati ſubiecerunt. Is, poſtquam, pluribus praeclare geſtis, prudentiae ſuae argumenta maxima reliquit, tum demum in Cardinalium numerum relatus eſt, cum ab eo per nuntios de Taranti apud Calabros Principe capto Summus Pontifex accepit. Alphonſum, Neapolitanorum Regem, licet conatus, numquam tamen in fugam pertrahere potuit. Atellae ad Iulianum uicum, militari ſtratagemate,

mare, minus laudato, ob perturbatum ſacrorum apparatum, ac laeſam Regiam pietatem, abacum, ac pretioſam ſupellectilem depraedatus eſt. Tum uero, cum Picinino, aduerſus Florentinos, foedus contraxit, apud quos Sfortia, eius hoſtis acerrimus, magno in honore habebatur. Vt concludamus, dum Roma in patriam cogitat, uiſurus magnificum a ſe palatium ibidem extructum, neſcio qua ſuſpicione ab hoſtibus Pontifici iniecta, ubi ad Prata Quinctia exercitum luſtrauerat, ab Antonio Rido, Patauino, arcis Hadrianae praefecto, detentus eſt. Paullo poſt, partim ingenti animi dolore, partim ex accepto uulnere, dum fugam tentaret, uel ſecretiori alia quacumque de cauſſa, in aureo toro compoſitus, e duplici huius noſtrae mortalitatis carcere euolauit, anno Chriſti Milleſimo quadringenteſimo quadrageſimo.

LADIS-

LADISLAVS. REX

LADISLAVS, Caroli Tertij filius, a Bonifacio Nono ſane adoleſcens ad paternum Neapolitanorum Regnum, ut legitimus ſucceſſor, adſcribitur, coronaturq. Milleſimo trecenteſimo nonageſimo manibus Angeli Acciaioli, S. R. E. Cardinalis ampliſſimi, confirmatusq. Rex Apuliae, Siciliae, ac Hieruſalem: qui quidem tituli ad hunc uſque diem una iungi conſueuerunt. Quamquam, Ladislao cum Aloyſio Secundo, Andegauenſi Duce nuncupato, natione Gallo, qui poſt Carolum Tertium defunctum a Clemente Septimo Auinioni, aduerſus Bonifacium Nonum non legitimum Pont. in id Regnum intruſus fuerat, acriter pugnauit. Victoria parta, ad Ladislaum certatim uicinae omnes urbes confluxere, quae ſe imperata facturas promiſerunt. Quamquam inferior fuit eo bello, quo, Sfortia, ac Paullo Vrſino ducibus, in Apuliae Regnum Lodouicus reducebatur. Tunc, Ladiſlao, ut fines tueretur, ex Caſinatibus campis alacriter prouecto, cum ob id ſuſpenſo admodum Lodouico duces cunctarentur, Sfortia, pernobili in medium prolata ſententia, tranſeundum omnino Lirim amnem, atque e ueſtigio hoſtes inuadendos, cenſuit, quod, cunctari, ac ſedere arma inferentibus, ineptum, & exitiale uideretur. Itaque, Liri ſupra Fregellas uado ſuperato, collatis ſignis, dimicatur, & eo quidem euētu, ut, Rege profligato, & eius proſtratis copiis, & caſtris, una cum ſignis, ducibusq. captis, uictoria inter memorabiles pararetur. Eo tempore primam uictoriae lauream Lodouicus Sfortia tulit. Id quod eo libentius in Ladiſlao retulimus, quod Ladiſlaus Tuderti id ipſum praeclaro teſtimonio confirmarit. Tum uero, rebus in pace compoſitis, ad patrium Regnum ab Vngaris uocatur: cuius Coronam cum ab Archiepiſcopo Strigonienſi acce piſſet, mutato poſtea ab illis ipſis conſilio, qui eum in Regem elegerant, accedente tumultu Neapolitano, iterum in Italiam reuertitur. Interim, defuncto Bonifacio Nono, Imperium Romanum affectat; qua ſpe fruſtratus, iterum a Columnenſibus, ac Sabellis uocatus; tum, tertium, Romanae Vrbis cupiditate ductus, anno Chriſti Milleſimo quadringenteſimo ſeptimo Pontificem alio ſe

recipere compulit. Eo, qui ſecutus eſt, anno, menſe Martio, IV. ad urbem uenire ſtatuit. Eo tempore patuit, Liguriae gubernatorē, una cum Paullo Vrſino, ſtatuiſſe Romam dedere Benedicto XIII. quod dum conantur, maris tempeſtate, ad Portum Veneris tredecim Genuenſium triremes repulſae ſunt. At Ladiſlaus Etruriam, Cortonam, Arretium, plurimaq. in Faliſcis uaſtat, Bouillis Hortino Caſtro, uillisq. eiuſdem ditionis, quarum exſtant paſſim inſignia ueſtigia, ſuccenſis. Hortanum enim acriter reſtitit, ut impreſſae ibidem conuentiones, Io. Baccarino, mihi affine, procurante, fidem faciunt. Mirandum certe eſt, quod, cum late omnia paene ſibi Ladiſlaus in illis partibus ſubieciſſet, Galleſium non modo non laceſſiuit, ſed etiam benigne in tutelam ſuſcepit, ut litterae in publicis ſcriniis, datae in Caſtris prope Narniā fidem faciunt. Et uero aduerſus furentem Ladislai audaciam conuentus egere Eccleſiae Rom. Principes; quorum conſiliis, & copiis, fracto, ac diſſipato exercitu, Ladiſlaus ſe in Regnum ſuum recepit. Hinc, iterum, rebus ſuis compoſitis, Romā cogitat Milleſimo quadringenteſimo decimo tertio. tanta eſt mortalium cupiditas imperandi. Neapolim deinde reuertitur, unde Spoletium uenit, urbem in Vmbria nobiliſſimam, & Ducatus titulo inſignem: in cuius uicinia, quae incendia ſparſerit, fidem faciunt Spoletina monumēta, quae manuſcripta a paucis circumferuntur. In his clariſſima exſtat memoria Ioannis Hortini, qui pro arcis Spoletinae, Romanae ditioni, ab nobilibus per uim occupatae, reſtitutione, ante ipſa moenia glorioſe occubuit, circa annum Milleſimum trecenteſimum nonageſimum. Ladiſlaus uero, qui longe poſt illa tempora floruit, cum Florentiae conſediſſet, uim eius ueriti Florentini, quibus illi uiſum eſſet condicionibus pacem obtulerunt. Paullo poſt, Peruſia, aegra ualetudine affectus, nec ſine ueneni in ſecretioribus partibus illati ſuſpicione, Romam uenit. Mox, naui in portu Romano ſoluta, in patrium Regnum delatus eſt. Hic, relicto exercitu inſtructiſſimo, cui uiros generoſos praefecerat, cum nullos ſuperſtites haberet filios, ſororem heredem inſtituit. Deceſſit IIX. Idus Sextilis, Regni uigeſimo nono, acceptae ſalutis CIↃ CD XIV.

LODO-

LODOVICVS . XII

GALLIAE . REX

LODOVICVS XII. ex Galliae adminiſtratione,quam Carolo IIX. adoleſcente ſuſceperat, deiectus, ut quem popularis aura eluſerat, ſe ſe in eam regionem Britonum recepit, quae in Celtica Gallia ad Oceanum occidentalem uergit. Quod non quidem in Regni adminiſtratore,ſed in ipſo Henrico III. dum haec ſcriberemus,non poſſumus non admirari, qui, Regia ipſa pulſus,a uicinis praeſidiis ſubditos Rex ipſe fugiens ſalutem quaerit. In quo precari decet Deum Opt. Max. Sanctoſq. eius Regni tutelares, ut opem afferant Galliae laboranti,quae,iam prope amiſſo cognomento, maiorum pietate parto,inteſtinis bellis fluctuat. Verum,ut ad ueteres tumultus reuertar, Lodouicus,pace facta una cum Carolo IIX. in Italiam ingreſſus,inſignem refert ex Liguria uictoriam.Poſtquam proceres Galli,more Regio,iuſta Carolo fecerunt, elatusq. ille eſt magna ordinum frequentia, ſui deſiderium maximum ciuibus reliquit. Lege Gallica, ad Lodouicum Valeſium, Aureliorum Ducem,Regnum rediit. Is,rebus ſuis in regno compoſitis,in Italiam irrupit Milleſimo quadringenteſimo nonageſimo nono.Inter plurima loca,quae celeritate incredibili in Inſubria capit, Mediolanum fuit,ciuitas florentiſſima,opulentiſſimaque. Tum,nouis collectis copiis, Regni Neapolitani imperium recipit, quod poſtea Magni Conſalui armis ereptum eſt.Conuenerat inter Armeniacum,& Conſaluum,ut,pacta certa mercede,captiui utrimque ad ſuos redirent. Conuentio peracta eſt ad Barolum. Barolum autem Vrbs ab Heraclio Imp. aedificata fuiſſe fertur: idq. facile indicat aerea pedeſtris eius ſtatua, quae in foro erecta conſpicitur. Ea comitate factum,ut ultro citroq. Hiſpani,Galliq. colluderēt. Itaque quaeſita occaſio ſingularis certaminis. Armeniacus, qui accedi ſuorū animos uideret,pugnā amplexus eſt. Placuit,utrimque undecim deligi. Tranij locus delectus, quem Veneti ex foedere occupauerant. Noſtri narrant ſcriptores, ſex horis continuis pugnatum. Inclinante uictoria in Hiſpanos,a Torſeio, Mondra-

co, Petro Baiardo, Arturo, Oliuerio Cabanaço eluſos Hiſpanos. Hos enim, ſaeptis aliorum equorum corporibus, Hiſpanorum im petus ſuſtinuiſſe, cum Hiſpanorum equi, olfactu necatorum aliorum equorum commoti, Hiſpanos equites excuterent. Conſulti Veneti iudices, utris uictoriam addicerent, iudicium ampliarunt. ita, ueluti comperendinato iudicio, utrique ſibi uictoriam arroga runt. Symphorianus Campegius narrat, ſeptem Gallorum equis occiſis, Baiardum, & Torſeium ita reſtitiſſe Hiſpanis, ut in fugam uerſos reliquos fuga ſibi conſulere coegerint. Reliqui quoque Galli ſcriptores uictos aiunt equites Hiſpanos. Ego, in hac uarietate ſcriptorum, ac bellorum incerto euentu, quo ſaepe fortiſſimi ſuccubuere, uicti ab ignauiſsimis, nihil ſtatuo. Certent ipſi inter ſe de uictoria. Afferam, quod liquet, & paullo poſt ſecutum eſt. Accidit, ut Petrus Baiardus, tumultuaria in pugna uulnerato Alphonſo, quem alij Aloſum uocãt, alij Aldonſum, Sotomatorem captum abduceret, adhiberetq. ea fouendis uulneribus, quae adhiberi in ea rerum paenuria poſſent. Is, morbo recreatus, ad ſingulare certamen a Terralio uocatur. Obſignatis ab utriſque tabellis, conuenit. Congreſſi ambo cum eſſent, primo ictu uane in caſſidem impacto ab Hiſpano, cum id uitaſſet Baiardus, ipſe, in collũ hoſtis gladio adacto, cum armato hoſte longius aberraſſet, tertio demum per iugulum uitata lorica adacto necauit Hiſpanum. Caeſo arma Baiardus non ademit. Hiſpanis ſepulcri iura conceſſit. quod ſi recuſarent, ipſe ultro ſepeliret. Hi, cum uictus eſſet illuſtri familia, laudato Baiardo gratias egere, elato ad ſepulturam corpore. At Lodouicus, ut ad caput hiſtoriae redeamus, fracto ad Linternum, Latij fluuium, exercitu, infracto tamen animo, Genuam recipit, unde in Galliam redit. Inde rurſus in Italiam uenit Milleſimo quingenteſimo nono; Abduam fluuium prope Mediolanum tranat; ac, poſt, fractis Venetis, florentiſſima potitur uictoria. Capit Brixiam, Cremam, Cremonam, Bergomum, & alia cõ plura loca, quae ſibi in partitione facta a ſibi foedere coniunctis iure belli cedebant. Reuerſus in Galliam, e proprio Regno Imperatoris acies pellit, atque Henrici IIX. impij Regis furorem reptimit. Cum quo pace inita, in matrimonium ſibi coniunxit eius ſororem, mulierem uenuſtiſſimam, cuius falſae religionis heres ſpuria relicta, quaſi altera Iezabel, adhuc in noſtros furens debacchatur. Quo de Britannarum mulierum conſtantia ſic ego

decantabam:

Femineae pugnant acies, & ſanguine miſto
Concidit ante aras nata parenſq. ſimul:
Hoſtia grata Deo, caedit quam ſaeua Tyrannis,
Qua ducet feſtos Anglia laeta choros.
Compulerint matres natos in bella Lacenae,
Proles ab amplexu mater in arma ruit.

Mariae ad nuptias uenienti Rex Abeuillam uſque obuiam iuit, magnificeq. eam excepit, ac ad Dionyſij pro more ſplendidiſſime ornandam diademate curauit. Verum ea parum recreauit ſeneſcentem Regem, cuius nuptiali face rogum ſuccendit. Inceſſerat ea cupido, ut Mediolanum reciperet, cum, a medicis ualetudinem curare iuſſus, anno Milleſimo quadringenteſimo decimo quarto, Kal. Iun. ſexagenarius, Regni ſui XV. defunctus eſt, ipſo initio uertentis anni. Quo die, ut rurſus in hanc lucem produci uidemur, ita magnis itineribus ad mortem ſinguli properamus. Lodouicus, ſepulcro maiorum conditus, Patris patriae nomen reliquiſſet, niſi Romanis Pontificis ditionem acrius oppugnaſſet.

LODOVICVS
PANNONIAE. REX

LODOVICVS, Pannoniae, ac Boemiae Rex, Ladiſlao, genere Polono, ac Caudola, Vaſcorum ſtirpe nobiliſſima, in hanc lucem, prope informis, inſtar Vrſini fetus, prodiiſſe fertur. Hic, dum pios Reges in mutuum exitium domeſtica bella accendunt, Solymani audaciam ſubire coactus eſt. Venit in Pannoniam Solymanus una cum hominibus ducentis millibus. Quo tempore Lodouicus, non tam ſpe uictoriae, quam ut ſuos fines tueretur, arma ſuſcepit. Cum uero in ipſo uno, & tenerae quidem aetatis, ipſius quoque Regni ſalus uerteretur, proelio Regi abſtinendum cenſebant proceres: uerum Paulli Tomoraei uerbis adductus Lodouicus, qui Regi perfamiliaris habebatur, ſe ſe in hoſtium aciem inferre ſtatuit. Nihil enim praeclarius putabat, quam ſi pro ea dignitate, ac maieſtate, quam gereret, quid poſſet, armis experiretur. Porro Tomoraeus, ſtudio defendendae, ac propugnandae religionis, pro more praeſulum eorum locorum, quae perpetuo hoſtium excurſionibus obijcerentur, armatus & ipſe frequenti militari oratione nobilium animos ita ad arma accēdebat, ut etiam in Rege innatos auitae nobilitatis igniculos ſuſcitarit. Non pro aris, & focis fictorum Deorũ, dicebat ille, pro quibus tamē non deſtiterunt, qui uitam fuderint, ſed pro ueri Dei cultu, proq. ea religione decertari, quam Chriſtus ipſe, e caelo lapſus, eiuſdemq. diſcipuli nobis ſanguine teſtatam reliquiſſent. Addebat patriae amorem: urgebat audacia hoſtiũ: quae niſi retunderetur, fore, ut neque intra domeſticos parietes tutus eſſet relictus locus. Huius generis argumētis, aliiſque, quae ſunt in hoc genere, grauioribus, generoſus Antiſtes permouebat Chriſtianorum animos ad bellum; quibus impulſus, non modo perſuaſus, Lodouicus Rex adoleſcens, conſilij, auxilijq. inops, ita animatus eſt, ut nullum plane uitae diſcrimen extimeſceret. Vt uero Rex ipſe potiſſimum in arenam deſcenderet, his ſuadere potuit. Omnes enim Reges, qui feliciter rem ſuam geſſere, ipſi in arma prodierunt. Sic Philippus Macedo, ſic filius Alexander, con

ſiliis hoſtiũ per exploratores cognitis, praeſentia urgebant. Prae-
terea illud commodi affert Regis praeſentia, quod ille ſubitis ca-
ſibus occurrere poteſt maxime, ut in bello, quod Tullus aduerſus
Veientes, ac Fidenates geſſit, comprobatum eſt. Cum enim in ip
ſo conflictu ad Regem fuiſſet perlatum, Suſetium ſe prodidiſſe;
ac cum ſuis copiis ad hoſtem transfugiſſe, continuo, alta uoce, ut
etiam aduerſa acies audiret, Ego ipſe, conclamauit, Suſetium eo
miſi cum milite, ut hoſtem a tergo adoriretur. Qua uoce ſuis ani
mus redditus eſt; hoſti uero metus iniectus, uictoriam Romanis pe
perit. Hoc caſu, Rege abſente, plane collapſa fuiſſet res Roma-
na. Locus ſane lubricus, & plenus controuerſiae, praeſertim in
ijs, a quorum ſalute Regni item ſalus pendet, & in ſummo diſcri-
mine belli, ut nos ipſi proximis annis in potentiſſimo Rege, eo-
demq. adoleſcente, funebrem pompam ſpectantes meminimus.
His, uel ſane ſimillimis conſiliis Tomoraeus iuuenem alebat.
Itaque Rex ſub tutela Dei Maximi, pro cuius fide glorioſum eſt
ſimul mori, hoſti obuiam ire perrexerat. Eſt ad ripas Danubij opi
dum, cui Mogacium nomen eſt, medio fere itinere inter Budam
Regiam urbem, ac Bellogradum. Eo ſe Lodouici exercitus contu
lerat, ſeq. foſſa per tranſuerſam uiam acta, uehiculiſque, undique
ſaepiuerat. Interea Tomoraeus, dux deſignatus, magis impetu,
quam conſilio, exercitũ dirigebat. Erant ad quattuor & uiginti
millia aduerſus infinitam barbarorum turbam. Strigonienſis, Ve-
randinuſq. Antiſtites, uiri clariſſimi, primo agmini praeerant.
His Ambroſius Sarconus, ac Georgius Vayuoda (ſic enim pro-
uinciae praefectum Pãnones appellant) iungebantur: ſequeban-
tur delecti equites praeſidia Regis. Tartari, contra, infrenes
equos uirga dumtaxat circumflectentes, telis in Vngaros intor-
tis, ſubito refugiebant. Sic enim equos aſſuefecerant, ut aſſultare,
procurrere in gyrum, qua uellent, uel ſolo barbarico ſibilo infle-
cterent. Non enim equos, Sybaritarum, aut Cardianorum more,
ad tibiam, aut tripudium, aſſuefecerant; ſed ita, ut ad tubae cantũ
accenderentur. Itaque Regij ordines coeperant incurſionibus
perturbari, cum maxime ſitis omnes urgeret, nec aquatum ire li-
ceret. Interea ingens caedes fiebat Regiarum copiarum. Strigo-
nienſis, ac Verandinus, dum ante ſigna obuerſantur, iaculis traie-
cti, cadunt. Diu aequo Marte conflixerunt: tum, Vſaronibus, quo
nomine Vngari leuis armaturae equites nuncupant, fugatis, ita

pugnatum

pugnatum eſt, donec, ſatiatis piorum caede barbaris, in unum Regem impreſſionem faciunt; non ignari, in uno duce uictoriam uerti. Rex rem perditam reſtituebat: ſuos a fuga reuocabat impauidus: tandem, campo deturbatis Vngaris, barbari, omni crudelitatis exemplo, Chriſtianos fugientes perſequebantur. Hoc proelio noſtrorum multa millia deſiderata ſunt. Lodouicus Rex, deletum exercitum circumſpiciens, praeſidio, quo ſaeptus erat, ſpoliatus, tandem, ſalutis ſuae memor, iter Budam uerſus auertit, ſperans aliquando maculam maturiori conſilio delere. Verum, in altiſſimam foſſam corruente equo, dum in alteram crepidinem proſilit, grauis aere, equo in ſe ipſum relabente, ſolo ſpectante Cetriſco Boemo, armigero Regio, perquam exiguo aquae gurgite obrutus eſt. Tomeraeus, proelij auctor, iaculis confoſſus eſt, paucis ex Pannonibus relictis, qui in montes, ſiluaſq. refugerant. Haec pugna celebrata eſt V. Kal. Septemb. qui fuit annus ſalutis humanae uigeſimus ſextus ſupra Milleſimum quingenteſimum. Poſtridie eius diei arma laeta, & in aceruum collecta ſunt. Solymanus Budae, arce laudata, ſtatuas aereas admirandae pulchritudinis Conſtantinopolim auexit, quas loco illuſtri inter trophaea Hippodromi ſuis ornamentis addidit; de Lodouico, quē euaſiſſe exiſtimabat, affirmans, ſe eum exiguo ſane tributo in Regiam relaturum. Detectum per ſcutiferum, ablutumq. corpus, eo, quo potuit, tumultuario funere, ad Albam Regalem tranſlatum, ſepulcro mandatur, Milleſimo quingenteſimo uigeſimo ſeptimo. Sepulcro addimus carmen:

Ille ego Pannoniae Lodouicus nobilis heros
Tutatus patriae ſum pietatis opes.
Dulce puto, pulchram ſubiens per uulnera mortem,
Cum regno, heu lacrymor, me cecidiſſe meo.

MASTINVS

MASTINVS. SCALIGER. I.

MASTINVS Primus Scaliger, Canis fratris filius, heres relictus, non multo poſt, quã Veronae adminiſtrationem ſuſciperet, a Brixianis, quibus Boemorum condiciones minus probarentur, accitus, breui ferro fuſis fugatiſq. Boemis, ſibi ad eam Vrbem obtinendam uiam fecit. Deinde Bergomum occupauit, Gibellina factione profligata. Cum uero Parmam tentaſſet, poſteriori congreſſu cepit. Deinde Pataauio, Feltrio, Belluno, Ceneta, Taruiſioq. ſubactis, uicini omnes Maſtini potentiam timebant maxime; ut ne Venetorum quidem Reſp. periculo uacare diceretur; quae in medio Hadriatico mari ſedem ſibi quaſi inexpugnabilem poſuit. Ad huius enim Vrbis expugnationem propugnacula excitauerat. Itaque Veneti, conſilio praeſtantes, in Senatum referunt de foedere percutiẽdo cum Boemiae Rege, cum Florentinis, aliiſq. Italiae Principibus. Inter hos adnumeratur Petrus Roſcius, qui, cum Apuae in Liguria a Maſtino obſideretur, inſigni ſtratagemate uſus, Venetias ſubito aduolauit, ubi, more maiorum, militiae praefectus eſt. Scripta feruntur ad quadraginta millia militum. Interea Gherardus ad Forum Iulij, Opitergium, quod Heracleam alij uocant, pro Venetis capit, quae prius a Scaligeris erat. Id ubi accepit Maſtinus, accurrit, ac poſt, fuga ſimulata, in paratas inſiddias hoſtem pellicit. Vrbem ingreſſus, omnia ſanguine foedaſſe dicitur. Interea Luchinus Vicecomes, Philippinus Gonzaga, ac Marſilius Roſcius, in hominem coniurati, Veronam obſident. Maſtinus, conſtanti animo, egreſſus in apertum certamen, fracto hoſtili exercitu, fuga, ſeruitute, ac ſanguine hoſtium, obſidionem ſoluit, duplici obſidionali corona digniſſimus. Hinc, Patauium contendens, Alberto fratri opem allaturus, fame obſeſſus hoſtis periiſſet, niſi Brixiam properare alia aduerſa acies compuliſſet. Ita, quaſi Briareus, tot ducibus unus reſiſtit. Sed miſeram rerum humanarum condicionem. Vix Veronam attigerat, cum uniuerſus Orbis illi inuerti uiſus eſt. A Luchino capitur Bergomum, ac Brixia. Patauium in Venetorum ditionem tranſit. Carolus Feltrium recuperat. Orlandus Roſcius, una cum Florentinis, Lucam, ac Vi-

V cetiam

certiam obſideret. Itaque Maſtinus, animo in tam uarias partes diſtracto, nullius Principis aut gratia, aut opibus; adiutus, periclitantem rerum ſuarum ſtatum, quaſi ex altiſſima ſpecula, praeuidens, cum Venetis, imparibus ſane condicionibus, pacem facit. Brixia, ac Bergomum Luchino cedit, Carolo Boemo Feltrium, Bellunum, ac Ceneta traditur. Patauium ſtat penes Vbertinum Carrariam, Venetis conceditur Taruiſum, Baſſianum, ac Caſtrũ Baldum. Maſtino, qui haec omnia potenti manu deuicerat, ſolum Parma, Vicetia, Luca, ac Verona relinquuntur. Quamquam paullò poſt Luca Florentinis diuendita, Parma a Guidone Corrigio capta eſt. Haec dum agũtur, Ioannes Vicecomes, cum Bononiam diuexaret Summus Pontifex, in Italiam tranſmiſſo Legato, Florentinos, ac cum his Maſtinum, ad eius defenſionem ſubmouerat. Hoc tempore ſpes iniecta eſt Maſtino recuperandi ſtatus uniuerſi: & quidem, quod conceperat, effeciſſet: ſed, ut noſtra conſilia ſaepe fluxa ſunt, ac dubij euentus, in maximarum rerum deſiderio morte praeripitur. Veriti Vicecomites in filio, quod in patre ſuſpicabantur, pace cum Cane Secundo facta, ac Gibellinis omnibus, ſibi cau-te conſuluerunt. Maſtini mortem reiiciunt in annum ſanctiſſimi partus Milleſimum trecenteſimum quinquageſimum.

MAT-

MATTHAEVS . POIANVS

MATTHAEVS, ex uetuſtis Poij Baſtoni Dominis, Poiana, primaria Reate in Vmbria, familia ortus eſt. Patre mortuo, patrefamilias diligentiſſimo, ac proinde ditiſſimo, iuuenis ad ſtudium bellicum animum appellens, euaſit demum ſuorum temporum belli Dux celeberrimus. Variis in bellis, uariis Principibus operam praebens, laudem immenſam ſemper inde retulit. Demum ſe applicans Summo Pontifici, Nicolao Quinto, tantum apud illum ualuit, ut in ea expeditione, quam contra Turcas recuperatum Cōſtantinopolim & Peram, ſuſcipere in animo habebat, pedeſtrium copiarum dux deſignaretur. Atque tum Matthaeus non ſolum conſilio, & manu, ſed etiam haud exigua argenti ſumma, Pontificem adiuuit. ut uidere eſt in illa Priuilegij inueſtitura, qua belliſsimae Regionis Pedelucenſis, & Arcis, tum ob compenſationem pecuniae expenſae, tum ob labores, propter Apoſtolicam Sedem pluries ſtrenue ſuſceptos, mero miſtoq. Imperio, & libera & omnimoda poteſtate, a Pontifice Perpetuus eligitur Vicarius. In his Eccleſiae ſeruitiis perſeuerans, ſumma & auctoritatis, & prudentiae laude, mittitur a Caliſto Tertio (quod in eius uita Platina ſcribit) ad obſeſſum Cruſtuminum, in Sabinis. Iacobus Sabellus, Caſtelli dominus, inde ſubditos quoſdam in exſilium egerat: ij, ira aeſtuantes, in Patriam reuerſi, duos Iacobi filios trucidant: atque totam eam ditionem Eccleſiae offerunt. Hoc munus a Pontifice non acceptum: quin potius illis, miſſo ad hoc negotium Cardinale Proſpero Columnenſi, mandat, ut cum Domino ſuo in gratiam redeant. Neapoleo uero, metuens, ne Cardinalis ſibi, uindicandi animo, Caſtellum caperet, illuc profectus, ſua manu locum per aliquot dies occupat. tum ſuperueniens Matthaeus, cum Franciſco Sabello, caſtellum obſidione liberat: ibiq. ducentos, defectionis praecipua capita, ſuſpendio affecit: ac, ut quibuſuis ſubditis in poſterum ab eiuſmodi facinoribus tentandis cauendi exēplum ſtatueret, ex ſingulorum corporibus fruſta exſecta in eo territorio circumuehi curauit.

Iacobus, Matthaei filius, paternae uirtutis aemulator egre-

gius exſtitit: ex cuius quidem rebus bello geſtis, quae non ſolum a Bernardino Corio, ſed & ab aliis tractantur, breuitati conſulentes, unum tantum praecipuum narrabimus. Iulius Hectoris F. Iacobi Nepos, adoleſcens unde uiginti annorum, a Paullo Tertio, Summo Pontifice, & a Petro Aloyſio Parmae, Placentiaeq. Duce, Farneſianis, (cum qua Sereniſſima Familia Poiani ſanguine coniuncti erant) uniuerſae expeditionis naualis, & maritimae Generalis dux conſtitutus erat: quo in munere ita ſe praeclare geſſit, ut in omnibus Pontificique, & Duci ſatis ſuperq. fecerit. Captiuum duxit Sirocchum, piratam eius temporis famoſum, & immanem. Domum poſtea reuerſus, adhuc iuuenis, adminiſtrationem rei familiaris adit. Atque, poſt multos annos, moriens, filiam ex matrimonio poſt ſe reliquit, Victoriam, & admirabili corporis pulchritudine, ut nulli umquam cederet, & ſingulari ad exemplum uitae caſtimonia, atque inenarrabili prudentia praeſtantiſſimam feminam. ea, nupta Comarcho Io. Baptiſtae Caſtello, ex eo ſuſcepit prolem generoſam, & a maiorum uirtute, ac nobilitate non degenerem, Gabrielem, Io. Franciſcum, Gaudium, Onuphrium, filios. Atque, hac conſanguinitatis cauſſa, in regionis Pedelucenſis, quam Iulius poſſederat, iuriſdictione, legitimam ſucceſſionem ſatis argumentis illis deberi, iuris peritiſſimi exiſtimant.

MAT-

MATTHAEVS VICECOMES

MATTHAEVS Vicecomes natus eſt Maſino, in pago Mediolanenſi, ad Verbanum lacum, eo ipſo die, quo Fridericus Secundus, dirus Italiae Caeſar, a filio Manfredo Rege coniecta in os ſtragula ueſte, necatus interiit. Hunc Anaſtaſia parens propriis uberibus lactans creſcentem honeſtiſſimis moribus inſtituit, quod Otho neſcio quid egregium, & uere magnum in pueri indole ſuſpiceret. Porro Mediolani, Inſubriae florentiſſimae Vrbi, circa annum Milleſimum du centeſimum ſeptuageſimum duae nobiliſsimae familiae perpetuo de Imperio dimicabant, altera Turrianorum erat, altera Vicecomitum. Huius ſe primarium Matthaeus praebuit, homo conſilio potens, & uiribus. Cum adoleuiſſet, ex uxore honeſta, & fecunda prolem ſuſtulit generoſam. Ad magiſtratum ubi acceſſit, interno, externoq. bello compoſito, cum ob ſingularem humanitatem in omnes a ciuibus ſuis coleretur, maxime iam dignus imperio uidebatur. Itaque a patruo, qui futuram nepotum amplitudinem praeſagiebat, ita rebus publicis praefectus eſt, ut penes eum unum Vrbis uniuerſa iuriſdictio eſſet. Quo tempore non inuiti illi & ciues, & peregrini paruere; quibus ut plebs optabat, ipſe reſpondens, relictis legum ambagibus, lites dirimebat. Religionem uero in primis coluit. Sacerdotem, quoties ſacra facturus erat, amictu, ac Sacerdotali habitu, ipſe ornabat, & ſacrificanti ſubinde palam miniſtrabat. Commendabant praeterea hominem eximiae uires. Ferreas equorum ſoleas, in diuerſa diſtractas, non numquam refregit. Iam finitimis Matthaei opes, & arma timori erant; dum alij foedere, ac ſocietate Vicecomitis regnum iuuabant. Vnus Gulielmus quieſcere minime poterat: multa cogitare, copias contrahere, atque expedire, a c uicinos fines infeſtare coeperat; tandem Vicecomitem bel lo aggredi ſtatuit. Adduntur alij Turrianae gentis, quorum factione domi res Vicecomitis maiori in periculo erant. Ticinum traijcit; latiusq. excurrens, ingentem hominum, ac pecorum prae-

dam

dam abducit. Vici diruti, ſuburbia direpta, aedificia ruſtica ſuccenſa ſunt. Riuus eſt ad irrigationem agrorum a Ticino deriuatus. Hic Gulielmus ſtatiua habuit. Matthaeus illi, exercitu tumultuario collecto, fit obuius: pugnam utrique continuo ineunt: atrociter depugnatur. Ceſſit acie Gulielmus, ac, Papiam confugiens, nouum conſcribit militem; ſed, dum, reparatis uiribus, Vicecomitem iterum aggreditur, e uita cedit. Matthaeus, potenti hoſte, ac pertinaci aemulo ſublato, Vercellis ſtatim potitur. Procurator, ſiue Imperialis Vicarius creatur: quae dignitas, ut ſplendidior popularibus uideretur, opinione, & amicitia Arnulphi, quaſi illo auctore gereret omnia, Aquilam, Imperij ſignum, tunc primum ſuſtulit. Secuta Othonis, magni patrui, morte, domum, quam habitare coeperat, repentino igne conflagratam ſpecioſiorem reddidit. Miſſus poſtea in exſilium Matthaeus, Veronam petit, ubi Bartholomaeus Scaliger, uir clarus, exſules excipere, teſte ipſo Petrarcha locupletiſſimo, ſolitus erat. Interea deformis exſilij incommoda conſtantiſſime tolerantem in ſpem erexit Henrici Caeſaris in Italiam aduentus. Diſſidebant inter ſe Turriani, exſtincto Muſca. Itaque, opportunum tempus nactus uiſendae patriae, cum arripiendam occaſionem ſapientes praecepiſſent, ueſte agreſti, auiiſq. itineribus, Aſtam ad Caeſarem contendit. Quis crederet, ſexagenarium ſenem, canitie ueneranda, & male tecto frontis honore, ipſoq. praeſertim arduae ceruicis habitu conſpicuum, pedibus iter habentem, hoſtium inſidiantium oculos fallere potuiſſe? Proiecto ad pedes, & iuris, & aequi opem imploranti, admiratus facundiam, & oris decus Caeſar, ſpem dedit, ut reduceretur: id quod egregia fide praeſtitit. Matthaeus, in patria, ſumma potitus poteſtate, iterum annis decem imperauit. Eo duce ſubactae Vrbes, capti hoſtium principes, ac opes Turrianae attritae, paeneq. deletae ſunt. Ipſe enim domi ab inueterata prudentia ſingulari conſilio omnia adminiſtrabat, ac foris filiorum ductu Magni nomen meritus ac conſecutus eſt. Praeclara parenti gloria, quae per ſe nobilis filiorum laude illuſtratur. His omnibus ut gubernator in naui, in qua alij malos ſcandunt, alij huc atque illuc per foros curſant, alij alia munia exercent, Matthaeus pater, Mediolani clauum tenens, ac uigilans, praeerat, atque ita praeerat, ut laborem, qui ſingulorum erat, ad ſe unum pertinere

exiſtima-

exſtimaret. Itaque filij, quaſi in ſpecula excubanti parenti, Inſubriae uniuerſae imperantes, ad nutum obſequebantur. Ad hanc Vicecomitum potentiam infringendam uenerant ceteri. Philippus Galeatius, uafro ingenio adoleſcens, tantum eloquentia potuit, ut, facta colloquendi copia, reditum hoſti in patriam plane perſuaſerit. Matthaeus uero, licet Macedonis cognomento Magnus ſenior factus, laetus, ut ille Diagoras, qui in Olympicis ludis uiderat filios, atque ex filia, filioq. nepotes coronari, ipſe quoque duorum, & ſeptuaginta annorum, Galeatio imperij uexillo conceſſo, ad Io. Baptiſtae templum Longobardicae pietatis argumentum maiorum ſepulcro mandatur, anno a nato Chriſto Saluatore Milleſimo treceteſimo uigeſimo ſecundo.

MAT-

MATTHIAS
REX. PANNONIAE

MATTHIAS Coruinus, Rex Pannoniae, Io. Vayuodae filius fuit, qui inter primarios adnumeratus eſt, qui Turcas domuiſſent, ac propterea eorum Fulgur dictus eſt ab illis uſque temporibus, quibus ad Taurinum Scythas fudit, fugauitque. Inter huius generoſi Regis filios paternae gloriae imitator Matthias, dum in carcere Auguſtae Bracarum detinetur, a nobilibus Pannorum Rex acclamatus eſt. Quo tempore uxor Ladiſlai Regis defuncti, cum pro Corona acriter decertaret, tandem uictor, annum natus uigeſimum, Albae regali, urbi Pannoniae primariae, quae, quod in ea Reges coronarentur, id nomen acceperat, ipſe quoque coronatus eſt. Nullum illi poſtea tempus a bellis uacuum relictum eſt. Poloni, inter ceteros milites alioqui generoſi, dum hominem irritant, breui aculeos ſenſere. Poſtea, in Germanos irrumpens, Viennam Imperatori adimit. Frangit copias Valacorum in dubio certamine, in quo & ipſe ſpiculi uulnere ictus eſt. Duplici praeterea proelio Turcarum impetum frangit, qua parte Illyrij fines excurrebant. Quo factum eſt, ut Mahumetes, ac Baiazetes, illis tēporibus in Orientis imperio florentes, ijdemq; fortiſſimi, pacem efflagitarint. Bellum mouit Stleſijs ad Vratiſlauiam, eius prouinciae urbem, tanta felicitate, ut paſſim in Regni finibus glorioſa trophaea deuictarũ nationum, more ueterum Romanorum, ſpectarentur. Praeterea tranſmiſit auxilia ad Regem Neapolitanum, quibus Turcas Hydruntinis finibus repulit. Hic ipſe, qui propugnaculum fuit totius religionis Chriſtianae, qui toties Turcas afflixerat, toties deſertores religionis noſtrae repreſſerat, toties ſuorum, qui rebellionem fecerant, uictor exſtitit, qui nec animo, nec corpore umquam conquieſcebat, Rex inuictiſſimus, idem ingenio acri, & in ſtudiis litterarum uerſatus, quod raro contingit, Marti ſimul, ac Palladi, egregiam operam nauauerat. Nam, exemplo Alexandri Magni, qui Homeri uolumen ſecum ad ceruical uoluit inter arma excubare, quod a bellis tempus ſuccidere poterat, il-

lud ſuauiſſimis Muſarum ſtudiis tribuebat. Amabat bonarum artium ſtudioſos uehementer, quos ad ſe ex omnibus Italiae partibus Budam, domicilium diſciplinarum, cōuocauerat, maximis propoſitis praemiis. Inter quos fuit Galeottus Martius, Narnienſis; cuius laus ſine ſcelere praetermitti hoc loco non poterat. Hic, omni in genere doctrinarum cum ſumma laude uerſatus, cū annos triginta Patauij publice humanitatis ſtudia fuiſſet profeſſus, Matthiae Regi a ſecretis erat. Quo tempore Matthias aduerſus Georgium Boemiae Regē pugnabat, quem Paullus Pont. ſacris interdixerat, ſpectante uiro eruditiſſimo Epiſcopo Strigonienſi, ac tota nobilitate Rex a cena inuitauerat milites ad palaeſtram. Inter omnes eminebat Aleſus, qui in militia ordinem ducebat. Hic, ubi in medium proſiliit, nemo auſus congredio. Tunc Rex, ad Galeottum conuerſus; An aliquid tibi, inquit, relictum eſt priſtinae palaeſtrae? Modeſte ille, ut ſolebat, iam diu deſijſſe ſe luctari, reſpondit. Nudi illi, more antiquo; ſed non inuncti in arenam deſcendunt. Galeottus duritie neruorum, collectis membris, ac latis humeris erat. Studia ciuium Aleſo uires addebant ad pugnam. Galeotto non nulli dumtaxat fauebant, quos Aleſus ille deuicerat. Diu certatum eſt fluente totis artubus ſudore. tandem Galeottus, crure ſiniſtro inter Aleſi crura inſerto, brachiis, ac toto pondere in eum urgens, ſoluerat omnes nodos, cum rurſus hominem medium arreptum in ſublime euehens capite alliſum in terram ſtrauit, quem iacentem humi ſemimortuum ſtatim humaniter extulit. Galeottum Io. Pannonius, Quinqueecleſiarum Epiſcopus, hoc eleganti carmine celebrauit:

Qualis in Aetolia maerens Achelous arena
Herculea legit cornua fracta manu,
Talis luctator Galeotto uictus Aleſus,
Turpia puluerea ſigna reliquit humo
Matthiae Regi Latiae placuere palaeſtrae,
Riſit Strigonia clarus ab arce pater.
At te ne pudeat ludi ceſsiſſe magiſtro,
Improbe. Mercurius noſter & iſta docet.

Et uero, ut ad Matthiam redeā, praeclarum illud Platonis dictum, Eas ciuitates tum demum felices fore, quibus dominarentur philoſophi. Cui ego, ſi licet, adderem, Perbeatos etiam eſſe

eos,qui ab iis regerentur, qui, ſi minus ipſi ſaperent, eruditis tamen hominibus delectarentur. Mirandum ſane,ut iuris, legumq. ſcientia poſſeſſionem ſuam latiſſime propagarit,retexta ſaepius a nonnullis Penelopes tela,ac medicina neceſſitate ſua inter mortales diteſcat,ſtudia digniſſima liberali homine , unde ea nomen acceperunt,adhuc fautorem optare.Et tamen tempus fuiſſe legimus,in quo magna erat auctoritas Homeri non ſolum in ſcholis, ſed etiam in foro,ac ciuilibus controuerſijs , adeo , ut Solon aliquando , uno uerſu Homerico, Salaminam inſulam fuiſſe Athenienſium,in iudicio decreuiſſe,dicatur. Matthias,& armorum, & litterarum amantiſsimus,quam plumbeam Regiam receperat,auream relinquens,apud poſteros famam merito ſibi collegit. Hic, dum pios fouet, dum religionis terminos propagat, ac gymnaſia ornat uiris clariſſimis , a cena, in maximo omnium deſiderio,raptus,ad celeſtem palmam uocatus eſt,eo ipſo die,quo triumphãs Chriſtus Opt. Hieroſolymam ingreſſus eſt, natus an.LVI.Regni XXXVI.ſalutis humanae Milleſimo quadringenteſimo nonageſimo. Eius tumulo ſic ego inſculperem:

Qui pius extuleram belli Coruinus honores,
Proq. ſacra cinxi relligione latus,
Aonidum quoque caſtra colens,& Palladis artes,
Ornaui uatum fronde uirente comas.
Palma meo duplex merito eſt inſculpta ſepulcro,
Altera Mauortis, altera Pacis opus.

MAXIMILIANVS. CAESAR.

MAXIMILIANVS I. Caeſar, ex Friderico III. Imp. & Elenora Luſitana natus, in Belgica, nuptiis celebratis; Caroli Burgundi filiam in uxorem ductã anno aetatis ſuae decimo octauo, ſexto poſt matrimonium anno grauidam deplorauit. Deinde Milleſimo quadringenteſimo octuageſimo ſexto, aetatis ſuae anno uigeſimo octauo, Francofordiae Romanorum Rex creatur, anno ante obitum patris octauo. Hic, biennio poſt, Brugis captus, inter aromatarij domeſticos lares, menſibus nouem, in maximo uitae periculo, quaſi iterum in parentis utero, delituit. Vnde mox in lucem, parentis opera, eductus eſt: cui merito, ut ille in fabulis Semeles filius, bis uitam acceptam retulit. Nimirum tantum poteſt patrius amor in ſobolem, uel ipſa duce natura, ut in feris aduertimus, ut nullus ſit tam difficilis locus, ad quem is non peruadat. Parat exercitum Fridericus triginta duorum millium hominum, ac, Belgica deuaſtata, impreſſione facta, filium libertati reſtituit. Ego uero, dum haec refero, addubitare ſoleo, an is, an Octauius Balbus, maioris erga filium beneuolentiae fuerit. Proſcriptus ille a Triumuiris, cum poſtico ſaluti conſuluiſſet, qua parte fugae expeditum iter pateret, ubi filium trucidari falſo in uicinia rumore accepit, ei ſe morti, quam filius prudens euaſerat, ſponte obtulit. Maiori enim illi momento fuit, praeter ſpem uidere filium incolumem, quam ſalutem ſuam. Miſerum adoleſcentem, qui ſui ipſius opera patrem exſpirantem uideret. Quid ille Seleucus? Cum is filium humiliori in loco conſpexiſſet, non ſuſtinuit paternus amor. Ipſe ſolio deſcendit: diadema in filii caput transfert: hortatur, ut in Curulem ſellam, ex qua ſenex ſurrexerat, adſcendat. Exciderunt lacrymae adoleſcenti: totis artubus cohorruit: dilapſum concidit diadema: nec finem ſingulare hoc pietatis officium habuiſſet, niſi paternae uoluntati Pompeij uoluntas acceſſiſſet. Ex quo concludi poteſt, longe maiorem eſſe parentum in filios, quam horum in parentes amorem. At Caeſar, in Italiam irrumpens, Florentinis in Etruria bellum indicit; a quibus diſceſſione facta, cum ſe ad Heluetios conuertiſſet,

tiſſet, auidius decertans, in ipſa dimicatione paene occubuit, duplici confoſſus lancea. Deinde, cum Lodouico, Gallorum Rege, indicto certamine, ad Teruanam, quae uetus Morinorum Colonia fuit in Belgica, magnis ultro citroq. damnis acceptis, inita pax eſt. De eo Lodouici Regis uox eſt: Galliam uniuerſam tremere, ſolum excuſſo Maximiliani tympano. Interea, defuncto Matthia, Pannonum Rege, Maximilianus in Auſtriam uenit, in qua ditione ea loca recipit, quae ille uiuens occupauerat. In hoc tumultu eo maior Maximiliani uirtus uideri debuit, quod milites ueterani emortui Regis, collecti, non deſiſtebant omnia flammis, ferroq. uaſtare. Hos ille aggreſſus profligauit, resq. Auſtriacas in ſumma pace compoſuit. Tum Belgicum ducem, ueniam poſtulantem, omni humanitatis officio cõplexus eſt. His expeditis, iterum in Italiam inhians, cuius imperij florentiſſimi exterae gentes cupiditate flagrarunt ſemper, Venetis bellum mouet; quibus, inter cetera opida inſignia, celeberrimasq. Vrbes, Veronam, Vicetiam, ac Patauium praeripit; licet Patauium, poſtea ereptum, nec quidem octoginta millibus hominum euincere potuerit. In Germaniam reuerſus, relinquit M. Antonium Columnam, qui bellum illi Reip. ſuſcitatum foueret, urgeretque. Neque uero ipſe deſtitit tertium in Italiam regredi Milleſimo quingenteſimo decimoſexto. Mediolanum, quo Italiae robora, & ex illa maximorum exercituum capita concludebantur, artiſſima obſidione cingens, ciuibusq. dira omnia intentans, commeatus paenuria obſidionem ſoluit; obſideri magis ipſe, quam obſidere, uiſus. Quod eius in milites liberalitate ſaepe contigit, ob quam plures uictorias perdidit, quam compararit. Inde Bergomum, ac Laudem Pompeiam, diripit. Hinc, uel Heluetiorum ſuſpicione, uel leui inſomnio Leopoldi, Auſtriaci Ducis, uel Triultij aſtu, contento curſu in Germaniam abit, allatis praeſertim nuntiis, Scythas ſolita audacia Pannoniae fines liberius depraedari. Hic, quaſi mortis praeſcius, cum Venetis, ac Gallis pacem componit. Excedit anno ſexageſimo aetatis, imperij uigeſimo quinto, Chriſti Opt. Max. Milleſimo quingenteſimo decimo nono, filijs orbatus, ex Maria Burgundiae Ducis filia ſuſceptis, ex Philippo filio nepotibus relictis.

NICO-

NICOLAVS. III ATESTINVS

NICOLAVS III. Marchio Alberto patri anno aetatis uix decimo ſucceſſit. In qua hereditate adeunda uim factam ab Azo affine ita propulſauit, ut Fauentiae Milleſimo trecenteſimo nonageſimo ſexto poenas dare compulerit. Circa haec tempora Petrus Lybs, in naturae obſcuritate indaganda diligens, tormenta bellica, quibus quaſi fulminibus coeptum eſt Vrbes demoliri, adinueniſſe dicitur. Eodem ſaeculo imprimendi quoque ars per Germanum hominem detecta apud noſtros eſt, ut, quam illa uitam adimerent, haec inſigni artificio ad perpetuam poſterorum memoriam conſeruaret. His ſane bellicis inſtrumentis inter primos uſus Nicolaus in eo proelio res ſuas firmauit. In huiuſmodi rerum ſtatu Franciſco Gonzagae ſaepe ſubſidia mittit, qui cum Ioanne Galeatio dimicare compellebatur. Tertio Idus Aprilis Milleſimo quadringenteſimo pacem componit inter Vicecomites, ac confoederatos: foedus init cum Bonifacio Nono, cui ille exercitus ſui ſummam crediderat. Hoc ipſo tempore Patauij ex quadruplici pugnae ſimulacro lauream refert, quam item longe poſt iterum tulit Mantuae, inter nuptias Gonzagae cum Malateſta filia. Proſequamur, quae ad arma pertinent, diuerſis licet ſaeculis geſta. Pugnat acriter pro reſtitutione Boniae: plurima dat adiumenta Carrariae familiae: Veronam expugnat. Ex quo proelio quaſi obſidonalem coronam emeritus, una cum Iacobo Carrara, Brunono, & Antonio Scaligeris, Philippo Piſano, Strozza, Michaele Medice, Paullo Leone Patauino, aliiſq. uiris generoſis, eques creatus eſt. Poſtea, fracto Paullo Sabello, profligatiſq. Venetis, pax redditur. Bello expugnat Parmam, ac Regium Lepidi, ubi Ottobonus Tyrannus a magno Sfortia interemptus eſt. In foedere Venetorum, ac Florentinorum, ſummus Imperator aditum intercludit Malateſtae, qui a Vicecomitibus erat ad Scul-

tennam

tennam, Inſubriae fluuium. Horum poſtea Principum pacificator factus eſt. Dum haec geruntur, in morbum incidit Nicolaus, in quo nihil prius habuit, quam ſe Deo reconciliare. Vota nuncupat: continuo, diuinitus beneficio accepto, ſtatuit tria, quae grauiſſima conceperat, Deo Optimo Maximo uota exſoluere. De peregrinatione Hieroſolymitana mire ſollicitus, uiatorium parat amictum, ſparteos calceos, talarem tunicam, tornatilem contum. Quia uero is non ignorabat, facilius ueſtem, quam mentem, mutari, omni ope ſibi enitendum curauit, ut illa exterioris ornatus inſignia interioris animi ſenſus perpurgarent. Hieroſolymam profectus, Palaeſtinae pia loca perluſtrans, Sacratiſsima Chriſti Domini Incunabula ueneratus, oſculatusque, ſupplex, eiuſdem monumentum, Sancti Sepulcri eques creatur, ut ſe ad bella pro Republica Chriſtiana ſuſcipienda paratiſſimum exhiberet. Nec minus, ut habebat in uotis, ad Sancti Iacobi Compoſtellani iter flectens, Lutetiae aurea lilia inſignibus ſuis hoſpiti Rex Galliae primum addidit. Poſt Lauretanam aedem inuiſit, tam inſigni exemplo; ut mirum non ſit, ſi tam multa eius habemus argumenta pietatis erga Rempublicam Romanam. Nam, defuncto Alexandro Quincto, Bononiae, Conclauis cuſtos adſtat, in cuius imperium Martinum Quinctum, ex Conſtantienſi Concilio redeuntem, & Regio apparatu exceptum, introducit tertio Nonas Iulij, Milleſimo quadringenteſimo decimo nono.. Tum uero Daciae Regem, Chriſti ſepulcrum, pietatis ergo, uiſitantem, ac Sigiſmundum Imperatorem, ab Vrbe Roma redeuntem, munifica hoſpitalitate proſecutus eſt. Conſtiterat Eugenius Ferrariae, ubi Ioannem Palaeologum, Graecorum Imperatorem, reciperet ad foedus pertractandum. Hinc, graſſante peſte, Concilio Florentiam tranſlato, Ateſtinus Pontificem Maximum eo uſque eſt comitatus, ſequentibus Graecis pluſquam quingentis. Ferrariam poſtea reuerſus eſt, ubi, bonarum diſciplinarum amantiſſimus, gymnaſia erexerat, accitis nobilibus iuriſperitis, inter quos Salicetum extulit. Magna propoſuit uirtuti praemia Princeps adeo liberalis, ut Parmam Philippo Mariae Vicecomiti dono dederit, Milleſimo quadringenteſimo uigeſimo anno noſtrae ſalutis. Itaque merito illi

illi longe poſt totius ditionis ſuae conceſſit imperium. Vix menſe exacto ab ſuſcepta adminiſtratione, Mediolani, ſub noctem, moritur VII. Kal. Ianuarij, aetatis quinquageſimo octauo, cum ab anno decimo, quo regnare coeperat, annos quadraginta octo addidiſſet. Erat uero annus communis ſalutis Milleſimus quadringenteſimus quadrageſimus primus.

NICO-

NICOLAVS . PICININVS

NICOLAVS Picininus, magni animi miles, pauca, ſapientum more, eaq. plena ſenſibus, proloqui ſolitus, Braccij partes ſecutus eſt. Porro ex eadem familia prodierat Nicolaus Fortebraccius, cui Stellae cognomen erat, ac igne & aqua interdixerant Summi Pontifices. Ex litteris datis decimaquarta Auguſti Eugenius laudibus effert Sutinos, ac Galleſinos, quos ex Machaletto Attendulo, duce exercitus ſui, acceperat Fortebraccio acriter reſtitiſſe. Dicerem ſane, hoc ipſo tempore Hortanum in Romana fide glorioſe perſtitiſſe, munere fidelitatis accepto a S. R. E. ſi auctorem haberem. Nihil enim praeterea obſtat, & tempora congruere uidentur. & Eugenius Hortinae, ut peruetuſtae, Caſtellanam Eccleſiam, ob hoc forte ſingulare acceptum beneficium, adiunxit. At Picininus militiae tirocinium ab auunculo acceperat. Cum uero Braccius celebres partas uictorias, tamq. late propagatum imperium, unius horae momento eſſet commiſſurus, Nicolaum Picininum, cum quattuor cohortibus, ne erumpere ciuis poſſet, ante Vrbis portas collocauerat. Ipſe cum parte ceterarum copiarum progreſſum ad mediam planitiem hoſtem magno impetu aggreditur. Hinc pugnae initium fuit: haſtis primum, tum gladiis, cominus res geſta eſt. Ruunt pari conatu in proelium pacatae utrimque acies. Inſtabat a tergo Braccius: hoſtes, in denſiſſimum quaſi globum collecti, ferientium ictus excipiebant. Stabat a Braccianis uictoria, cum Michiletus, unus ex Reginae ducibus, ubi uidet ſpem fugae ſublatam, & hoſtilem peditatum montis iugo inhaerere, mandat, equorum ilia ſuffodi, quorum undecies centena tergora poſt conflictum Aquilam reportata traduntur. Inter haec, Nicolaus Picininus, quem ad Vrbis portas relictum dicebamus, cum his, quibus praeerat, cohortibus, magno curſu in hoſtes peruolat; incertum, an praedae cupiditate, uictores ſuos arbitratus, an, ut fatigatis opem integro milite afferret, quod facile crediderim. Haec certe res ut aduerſarios primum terruit, ita poſtea euexit. Nam ciues, ubi exceſſiſſe hoſtium praeſidium cognouere, erumpunt portis non uiri modo, ſed

feminae

ſeminae quoque, haſtis, dolabrisq. armatae. Sex millia fuiſſe dicuntur eorum, qui effuſi campis accurrerant ad pugnam. Quamobrem, perterritis Braccianis, uictoria ad hoſtes ſe tranſtulit. Huc compulit adoleſcentem pugnae auiditas, dum alios turpis metus redarguit. Certe, ut Iſocrates dicebat, inſignis orator, ſe calcaribus, in Ephoro; contra autem, in Theopompo, frenis uti ſolere; Picininus ita audax ad pugnam prodibat, ut coercendus uideretur potius, quam incitandus. Hinc ad Florentinos acceſſit; a quibus poſtea, Philippum Vicecomitem ſecutus, Brixiae arma admouit. In cuius defenſione referunt non minus uirorum, quam feminarum, operam egregiam enituiſſe. Inter quas Braida, Aduocarae gentis, tam praeſtantia animi, quam domeſtica nobilitate, illuſtris, ſpectataeq. uirtutis celebris matrona, apparuit. Sic ſane antiquioribus temporibus Artemiſia, Lygdamis filia, nulla neceſſitate coacta, animi ſolius praeſtantia, in auxilium Xerxi aduerſus Graecos profecta, in pugna nauali, apud Salaminem, tanta audacia inter primores duces praeſtare uiſa eſt, ut eam Xerxes imperator ceteris ducibus praetulerit. Nec uero minori terrori apud hoſtes fuit. Siquidem eam Athenienſes adeo extimuerunt, ut illi, qui uiuam cepiſſet, drachmarum decem millia, in praedae praemium propoſuerint. Sed in eo conflictu ita ſe uirilem exhibuit, ut, Perſarum claſſe foede uicta, diſſipataque, e mediis hoſtibus incolumis euaſerit. Neque ſilentio praeteriri debet Venna, natione Polona, Virgo inſignis; quae, ubi Ritigerus, rerum deſperatione, mortem ſibi conſciuit, Cracouiam in triumpho reuerſa, mactatis, pro more patrio, uictimis, ſollemni ritu, ut ea ferebant tempora, ſe ipſam deuouit, ac de ponte in profluentem Viſtulae, ne quis aduerſus caſus eius felicitatẽ interturbaret, ſe proiecit. Repertum cadauer ab urbe lapide uno, ad pagum, cui Mogilae, hoc eſt Tumuli nomen eſt, proceres, aggere facto, ſepelierunt. De Venna Matthias Smogulechius, Polonus item adoleſcens, & ingentis ſpiritus, in quodam poemate ſic cecinit:

Ritigerus, Vendae inſano ſuccenſus amore,
Dum ſpretus bello petit optatos Hymenaeos
Vincitur, o nullis abolenda infamia telis,
A tenera uir uirgine. Fortunata uirago,
Si quid & hiſtoriae, & uatum praeconia poſſunt,

Nulla tuum condent annoſa obliuia nomen,
Dumq. pater lato turgentes ſpumeus alueo
Viſtula uoluet aquas, dum tellus fundet ariſtas,
Magnanimas inter tua laus erit Heroinas.

Ceterum Philippus Vicecomes, uirtute clariſſimi ducis Nicolai Picinini, ad recuperandas remotiores paterni imperij Vrbes, animum adiecit. Verona enim Veneti, Piſis Florentini potiebantur. Itaque Genuenſes uexat; prope Abduam praedas agit; ac fluuio tranſmiſſo, omnia paene Brixiani agri caſtra duci ſuo reſtituit. Etruriam ipſam populatur. Verum inſigne eſt, quod in hominis ſollertiam, ac militarem aſtutiam, referunt. Is, circa Benacum lacum, a Franciſco Sfortia, Veneti exercitus duce, in eum ſtatum compulſus fuerat, ut neque copiis ſuis iungi poſſet, neque in eo opido diutius ſine periculo manere. Illinc igitur dolo ſe ſubtraxit. Includitur quaſi in aculeum, ac humeris Germani militis gregarij, ad tuta delatus eſt. Et merito. In duce enim eſt robur exercitus, a quo, ueluti ex capite ſenſus, ac uita in uniuerſum corpus, ita gubernatio omnis manat, ac ſalus. Exſtincto enim duce, nullus ordo eſt in multitudine. Vt finẽ faciamus, Picininus, otij hoſtis, in periculis intrepidus, militum amantiſſimus, celeritate belli ſingularis, leuis armaturae militibus uſus, acer in exploratores, Mediolani, ſeptuagenario proximus, mortem clauſit, quae rerum humanarum ultima linea dicitur, Milleſimo quadringenteſimo quadrageſimo quinto.

NICO-

NICOLAVS . VITELLIVS

NICOLAVS Vitellius,Tifernas,equeſtris ord. ac ciuis primarius fuit. Tifernum in Vmbriae, ſeu Etruriae finibus ſitum eſt. Nam Tuſciam ab Vmbria Tiberis diſterminat. Ducentis circiter ab hinc annis Ciuitas Caſtelli dicitur. Vrbs haec Apennino ad Orientem adiacet,altera parte Tiberi fluuio irrigata.Planitie fertili cingitur, in qua uini, frugumq. copia maxima: circumquaque aequis paene,continuisq. montibus,ueluti amphiteatra,exornatur.Duplici circumdabatur temporibus illis muro in ſpeciem Babylonis,quod ſane in paucis Italiae,urbibus admiramur. Porro Sixto IV. Pont.Max.diſſipatus eſt rumor, ſine auctore, Romanas acies ex Spoletinis campis Tifernum contendere. Qua fama increbreſcente,licet immaturas,ſegetes Tifernates in urbem tranſtulerunt. Interea Pinus Ordelaphus tertius apud Vicum Sicilicis caſtra poſuerat, eo plane in loco,ubi Nicolaus Vitellius ornatiſſimam,munitiſſimamq. arcem conſtruxerat. Pinum Ordelaphum comitabantur uiri inſignes,inter quos erat Io.Gonzaga Mantuanus, ac Laurentius Iuſtinus Tifernas I.C. & eques auratus,belli huius concitator,ſi nõ auctor; apud quem harum copiarum imperium eſſe ferebatur. Hic,exſul cum eſſet, patriae fines ingreſſus,apud ciues praecipue flagrabat inuidia.Hoc tempore Nicolaus Vitellius,communi populi cõſenſu, Dictator eſt acclamatus. Quod munus profeſſus eſt ſe numquam ſuſcepturum fuiſſe, niſi ſe patriae minus conſulturum putaret,eo detrectato. In primis imbellem multitudinem in finitima caſtra dimiſit; mox mittit ad Sixtum Pont.Max.Oratores,qui eam Vrbem,ſemper Rom.Imperio deditiſſimã,ac Tifernatum incorruptã erga Pontifices fidẽ celerius narrent.Cãpanus itidẽ,prouinciae praeſes, idemq. uir grauiſſimus,& integerrimus, plane ſingularem eorum populorũ erga populum Rom.obſeruantiam confirmauit.In hac obſidione dum dies in diem producitur, eo deuentum eſt,ut per caduceatorem hoſtes prouocarint ex oppidanis aliquem, qui ſingulari certamine ferratis haſtis concurreret. Plurimi,iidemq. primarij, e muris in arenam proſilire audebant: ita eſt ea gens generoſa. In ea maxima contentione ſorte

ſtatuendum fuit. Cornix Apulus eques pro Tifernatibus datus eſt. Quaerebatur ab hoſtibus de loco. Nicolaus Vitellius comitem exire iubet. pugnae locum eum ſtatuit, quem legatus elegiſſet. Hoc reſponſum Tifernatum liberalitatem, ac Vitellium maxime extulit. Deſignato loco, haſtis equatis, ſtabant in planitie circumfuſi hoſtes. Opidani uero ad ſpectaculũ e muris circumfuſi erant. Kal. Sextilis dato ſigno Hieronymus Imolenſis, & Cornix Apulus paribus haſtis concurrunt. Cornix Hieronymum dextero in brachio uulnerat; quo in ictu confracta haſta, cum ſolus truncus ceteris ſpectantibus fuiſſet relictus. Partam Cornici uictoriam omnes plauſu confirmabant: neque militiae legibus ulterius pugnandum fuerat. Hortatu procerum rurſus certat Cornix, qui in ceruicem haſtam in plures diſciſſam infregit. Manabat toto corpore ſanguis Hieronymo, cum tertium in certamen uenitur. Iam Cornix in medium proſilierat; cum, ſereno caelo, ſubita exſerta tempeſtate excuſſus e caelo imber denſiſſimus pugnam diremit, uel ipſis hoſtibus Cornicem celebrantibus. Redeunti Cornici licet omnia pluuia maxima maderent, Tifernatum concurſus ad portas uſque factus eſt tantus, ut uix illi locus in ipſo etiam foro relictus uideretur. Nicolaus uero hominẽ e muris ipſis, ac poſt e roſtris laudauit. Dignus ſane Cornix illuſtri memoria, qui licinia, armisq. a Nicolao Vitellio ob partam Tifernatibus uictoriam fuerat donatus; niſi Apulus is fuiſſet, ac, beneficiorum immemor, transfuga factus, quam gratiam referre non poterat, ingrati animi uitio recompenſaſſet: qui item non eſt ueritus Io. Vitellium Nicolai primogenitum dolo malo ſecum in hoſtiũ caſtra abducere. Ille, ubi prodidit Nicolai conſilia apud hoſtes ipſos, hac turpi nota e caſtris transfugit. Mirandum potius, ut muliebris ſexus hominum ſaepe quorundam leuitatem uicit. Ingens ſaxorum copia e turri prouoluebatur in hoſtem, quae a mulieribus ſingulari ſedulitate ſuggerebantur. Harum una, fama nobilis, Violanta nomine, ſcorpione in brachio percuſſa, ſibimet telum eduxit, & faſcia alligauit. Neque ob id a patriae defenſione receſſit: quin cum ceteris coeptum opus perſecuta eſt. Praeſtans animi Virgo ſanguinem, ac uulnus non perhorreſcit, telum educit, obligat, caſtris nec minimum dimouetur. Sed, ut finis ſit; Nicolaus, ubi boni ciuis, ac militis munus ita eſt exſecutus, ut Pater patriae nuncuparetur, acceptis pacis condicionibus, iisdẽq.

S legat

legati ſigillo obſignatis,ac cõfirmatis, non ſine ſuorum lacrymis, in Romana caſtra proficiſcitur incredili ſui deſiderio ciuibus relicto. Legatus uero,poſtridie eius diei, Milleſimo quadringenteſimo ſeptuageſimo quarto,Vrbem ingreſſus eſt. Hactenus de prima obſidione. Alia fuit, cum, dux Florentini exercitus creatus, prope Thraſimenum, Peruſinum lacum, celebrem ,ueterem Romanorũ cladem renouauit. Non multo poſt,pace facta a Florentinis,una cum Rege Neapolitano,copiis collectis,quarum imperium Nicolao tributũ fuerat, Tifernatum dominatum accepit; illi uni Florentinis concedentibus Milleſimo quadringenteſimo octuageſimo primo. Vitellius Eugenio IV. ac Nicolao V.a quo eques creatus fuerat, Summis Pont.familiaris, paene ſeptuagenarius moritur, Milleſimo quadringenteſimo nonageſimo quarto Chriſtianae ſalutis anno, quattuor germanis filiis in Virginij Vrſini diſciplina relictis,qui illis ſaeculis inter Romanos proceres ſplendore domus,ac pluribus militiae partis honoribus, merito clariſſimi habebantur. Nos hunc tumulum fecimus Nicolao Vitellio,eundemq. Io.Liſio Vitellio,adoleſcenti maximi iudicij, & non modo ſummae ſpei, ſed creſcentis gloriae heredi obtulimus:

In patria en morior patriae defenſor, & arma
Illius in gremio ſanguinolenta loco.
Illa dedit uitamq; nos, ſeruaretur ut illa,
Non piguit telis expoſuiſſe caput.
Dixerat haec atra deprenſus morte Vitellus,
Laetus & ad ſuperos iam properabat iter.
Felix ſorte tua: celebrat te patria patrem,
Et tumulo incidit nomina tanta tuo.

PAVLLVS . SABELLVS

SABELLORVM progeniem inter ceteras Romanas antiquiſſimam,& nobiliſſimam eſſe, manifeſtum eſt.Originem habuiſſe dicitur ab Auentino,Albanorum Rege ,quo tempore Latinus, Rex Latinorum,contra Troianos pugnauit. Semper dominiis, titulis, praeeminentiis, eximiisq. honoribus claruit: Eccleſiaſticis dignitatibus illuſtriſſima: habuit enim Pontifices ſex, praeter permultos Cardinales, ac uiros egregios: Saeculari dignitate clariſſima, cum ab ea tot Conſules, & Tribuni in Romana urbe prouenerint: Scientia, & uirtute: quoniam perpetuo Heroes fuerunt, & ſunt in hac familia eruditi, & docti, & corporis, & animi uirtute praediti: Diuitiis: cum poſſideant ciuitates, opida, & caſtella: Rebus militaribus: habuit enim omni tempore egregios, eximiosq. uiros, & exercituum imperatores, inter quos Paullus Sabellus, clariſſimus inter Duces, eximij ſplendoris familiae fuit. Hic, militiam ſecutus, magnam ſibi laudem comparauit. Vna cum Alberico Barbiano, Vrbani VI. exercitus imperatore,contra Monzoiam, profectus,cum eo prope Marinum pugnans, maxima laude dignus fuit. Hinc a Rege Siciliae exercitus Dux creatus, multa laudabiliter geſſit; & in Regno Neapolitano contra Othonem Branſuichum,Ioannae Primae Reginae coniugem, militauit, & prope Barium contra Aloyſium Primum Angioinum magna laude dimicauit. Poſtea,a Ioanne Galeatio Vicecomite, Mediolani Duce,ad ſtipendia uocatus,cum Barbiano, Ducalis exercitus Imperatore, Florentinum agrum ingreſſus, Piſam a Florentinorum incurſionibus tutatus eſt,& in proelio Caſalechiano,contra Bononienſes,& ſuos collegas maxime fuit laudatus. Tum a Venetis, Michaele Steno tunc Venetiarum Duce, cum Franciſco Carrara,Patauij Domino, dimicantibus, exercitus imperator factus, illum a Vicetiae obſidione depulit, Veronam cepit, Patauium obſedit: uehementerq. illud oppugnans,cum audiſſet, Nicolaum Tertium,Marchionem Ateſtinum, in auxilium Carrarae uenire, illi obuiam iuit: a quo tamen, prope Campum Sancti Petri,in pugna cladem accepit. Sed, Patauium reuerſus, cum eam

ciuita-

ciuitatem ad deditionem fere adduxiſſet, obiit, anno a partu Virginis Milleſimo quadringenteſimo primo. Tot tantaq. eius merita apud Venetos fuere, ut eius corpus Venetias tranſlatum in Eccleſia Fr. Minorum ſepultum fuerit, & ad eius memoriam ſtatua equeſtris erecta, hac inſcriptione:

Hic iacet armipotens Paullus de ſtirpe Sabellus,
Incolumi quo Roma parens gauderet alumno.
Haec ſibi ad extremum ſtatuebat ſemina priſcae
Reddita uirtutis: non hic Scipionibus impar,
Non Fabijs uirtute fuit belloq. domique.
Magnus erat uia, Marte ferox prudensq. togatis
Conſiliis hic Apuliae uictricia campis
Agmina direxit Caroli ſub nomine regis.
Et cum Dux Ligurum Galeaz, iuſtiſsimus heros,
Creſcit in Italia, multa cum laude ſub illo
Hic tulit arma, acies ſtrauit, terrasq. ſubegit,
Poſtquam cum Veneti uirtus animoſa Senatus
Carrigeram delere domum cupit, obſidet urbem
Euganeam belli ductor, caſtrisq. locatis
Ad Baſſanellum, cum iam prope uictor haberet
In manibus Patauum, melioris adaucta triumphis
Gaudia, peſte ſuum eſt corpus rapiente uocatus
Phoebus adorato Chriſti dum uoluit ab ortu
Luſtra ducenta unum, & centum quater aureus annis
Tertiaq. Octobris lux infauſtiſsima fulget.

PE-

PETRVS . NAVARRVS

PETRVS Nauarrus, ex patria nomen adeptus, quae ad Pyrenaeos montes adiacet, in excurſionibus maritimis exercitatus, atque agendis ſub terra cuniculis ſagax, ubi in Italiam uenit, in Lunenſi proelio ſtipendia fecit. Inde ad maritima certamina rediit. Poſt, ad terreſtres pugnas reuerſus, pedeſtris copiae ductor, in bello Neapolitano, ſub Magno Conſaluo, aduerſus Gallos tantum eſt nominis cōſecutus, ut plane hoſtibus formidoloſus uideretur. Praeclara quidem ad Canuſium, ac Tarentum geſta; ſed illa admiranda, cum Megaris inſulae duris affixa ſcopulis propugnacula immiſſis tormentarij pulueris fomentis, obſtructiſq. ſpiramentis, obluctante flammarum ui, ueluti a ſuis ſedibus conuulſa, contremiſcerent. Quod ubi uiderunt pallentes Galli, ceteris relictis praeſidiis, facile conceſſerunt. Quo mottalium ingenium non peruadit? Ipſas cauernas ſubiens uis ignea, naturamq. imitata, quae praecluſis flatibus terram concutit, maiori quodam impetu conuulſos montes, atque in aera ſublatos, diſijcit, & effundit. Itaque inuſitatum temporibus illis conatum admiratus Conſaluus, Alueti opidi prope Lirim comitem Nauarrum creat. His uirtutis militaris inſignibus imperator in Mauritaniam traiicit: quam regionem feliciſſimis euentibus excurrens, in Numidiam uenit, atque, ampliſſima Africana ſpatia praeteruectus, Lepti expugnata, innumeras terra, mariq. uictorias reportauit. At, poſt reditum in Italiam, minus fauſte res ceciderunt in Bononienſi obſidione, ac Rauennatum. proelio captus, per biennium in Gallia detentus, cum ſpes nulla redēptionis affulſiſſet, operam ſuam Franciſco Regi locauit. Pro quo Caeſarianos, Venetoſq. acriter oppugnauit. Hoc tempore adfuit quoq. Triuultius: cuius licet alibi a nobis uirtus monumentis aliorum exēplo tradita eſt; eſt tamen aliquid, quod in hoc ipſo bello ſileri non potuit. Is, una cum Petro Nauarro, cum per Argentarium montem aditum ſibi feciſſet, in Heluetios obſtinate repugnantes ad Marignanum irruperat. Hic Triuultius, ad clementiam Regem adhortatus, plurimos ille eius conſilio uita, innumeros libertate donat. Nimirum haec eſt uirtus, quae cum ſemper,

tum maxime in bello accenſis animis ſemper laudata eſt: Temperare uictoriam, maius eſt, quam uiciſſe. Huius moderationis eſt, ſubiectis parcere, hoſti ignoſcere, dominari furori, nec ſolum fortia caſtra, ſed uictores uincere. Haec eam meretur gloriam, cuius fructum non miles, non centurio, non ipſa cohors decerpit. Eſt recentioris memoriae, quod dicam; rarum tamen, & eiuſmodi, ut omnibus exēplis, quae omnis tulit aetas, iure conferri poſſit. Alphonſus maior, qui fuit Siciliae, & Apuliae Rex, uictus nauali proelio a Genuenſibus, ad Pontias inſulas, cum aliis clariſſimis ducibus, qui Aragonum partes tenebāt, Philippo Vicecomiti a uictore Ligure traditus, (erat enim tunc temporis Graua ditionis Vicecomitum) non modo non hoſtile quidpiam eſt ab eo paſſus, ſed, amice, & Regaliter habitus, ampliſsimisq. muneribus donatus, cum ſuis omnibus incolumis dimiſſus eſt. Quae apud noſtros dum narramus, antiquiora, & externa praeterire nō debemus; praeſertim, cum eiuſmodi legamus, quae nos exemplo ſuo inſtruant. Itineris continui labore, animiq. aegritudine fatigata, inter ſocrus, & Virginum filiorum manus; collapſa erat Darij uxor, deinde & extincta. Id ipſum nuntians ſuperuenit unus. Et Rex haud ſecus, quam ſi parentis ſuae mors nuntiata eſſet, crebros edidit gemitus, lacrymisq. obortis, quales Darius profudiſſet in tabernaculum, in quo mater erat Darij, defuncto aſſidens corpori, uenit. Hic uero renouatus eſt maeror. Vt proſtratam humi uidit recenti malo, priorum quoque admonita, receperat in gremium adultas Virgines, magna quidem mutui doloris ſolatia: ſed quibus ipſa deberet eſſe ſolatio. In conſpectu erat nepos paruulus, ob id ipſum miſerabilis, quod non dum ſentiebat calamitatem, maxima ex parte ad ipſum redundantem. Crederes, Alexandrum inter ſuas neceſſitudines flere, & ſolatia non adhibere, ſed quaerere; cibo certe abſtinuit, omnemq. honorem funeri patrio, Perſarum more, ſeruauit, dignus herede, qui nunc quoque tantum manſuetudinis, & continentiae ferat fructum. Semel omnino eam uiderat, quo die capta eſt, nec, ut ipſam, ſed ut Darij matrem uideret, eximiamq. pulchritudinem formae eius, non libidinis, habuerat incitamentum ſed gloriae. Quid uero de Dario ipſo? Ad corpus cemortui perueniens, tam indignam illo faſtigio mortem lacrymis proſecutus eſt; demptaq. ſibi chlamyde, corpus illius contexit, at-

que Regiò ornatum cultu ad matrem Syſigambim patrio, Regioque more ſepeliendum, atque Regijs maiorum ſuorum tumulis inſerendum, miſit. Haec quidem non minora pietatis officia, quam captiuos dimiſiſſe, quibuſdam uideantur. At Nauarrus, re infeliciter geſta, in Liguſtico bello, non niſi poſt triennium, ab ea arce, quam ipſe ſua manu ceperat, liberatus eſt. Inde, una cum Lotrecchio, ad Clementis VII. defenſionem a Borboniana obſidione Romam properat. Hinc, cum primum Neapolim rediit, tabe in exercitu graſſante, in hoſtium inſidias incidit. Iterum, quod ſane miſerandum fuit, in idem caſtrum coniectus, ingenti animi dolore, accedente etiam carceris paedore, iam tertium ergaſtuli ſpatia emenſus, ſenior, ex his humanae uitae carceribus ſolutus animus, ad metam ſe ſe morte ſubduxit, circa an. Chriſti Milleſimum quingenteſimum uigeſimum octauum.

PROSPER

PROSPER . COLVMNA

PROSPER Columna, Paliani dominus, clariſſimus ſui temporis Dux, maximo fuit in rebus militaribus conſilio, conſtanti, & moderata animi uirtute, iuſti, atque honeſti cupidus, in militia ualde exercitatus, & peritus. cautus erat, & prudens, nec inimicis occaſionem praebebat ſui opprimendi; in agendo tardus admodum: ut merito Cunctatoris nomen ei deberetur: maxima laude fuit dignus, in bello, conſilio magis, & prudentia, quam enſe, uſus. ſimilis fuit Fabio Maximo, qui, cunctatione, ac prudentia, Romanam rem, & nomen fere deletum ab Hannibale Carthaginienſi, reſtaurauit. Itaque Hannibalem palam dixiſſe ferunt: Romani etiam ſuum habent Hannibalem: & ſe magis timere Fabij cunctationem, conſilium, prudentiam, quam eius enſem. Pari modo Proſper, ſua cunctatione, docuit, Dominia tueri extra dimicationem, niſi graui imminente neceſſitate. Is Carolum Octauum in bello Neapolitano, contra Alfonſum Secundum Regem ſecutus eſt: poſtea, Gallis parum fautoribus uſus, Ferdinando Secundo, Alfonſi patris ſucceſſori, ſe adiungit; & in urbe Neapolitana, aliiſq. permultis ciuitatibus recuperandis, ac Gallis e Regno depellendis, acerrime dimicauit. Hinc, Ferdinando Rege aſſentiente, ad Maximilianum Sfortiam iuit; Duxq. Sfortianarum copiarum declaratus, cum equitatu ueterano, Hiſpanorumq. cohortibus quattuor, Cremam accedit, eamq. obſidione cingit, atque Bergomum poſt paullo capit. Reſtauratis Sfortianis, una cum aliis Columnenſibus, Vrſinos aggreſſus, & apud Eretum pugnans, eos fregit. Poſtea ad Conſaluum Cordubam, qui pro Rege Catholico in Neapolitano Regno cum Gallis conflixerat, ſe contulit, & ad Cannas magnam meruit laudem. Ac quidem tunc laude maxime dignus, cum in Apulia tredecim equites Italos, a totidem Gallis ad ſingulare certamen prouocatos, tam bene inſtruxit, ut clariſſimam retulerint uictoriam. Solitaq; eſt uſus uirtute in proelio ad Girignolam, & quando Capua, Auruncaq. captae ſunt, ac cum, ad Lirim,

Gallis fractis, paullo poſt iterum eos Regno cedere coegit. Inito poſtea foedere inter Leonem Decimum Pontificem, Caeſarem, Regem Catholicum, & Angliae Regem, contra Franciſcum Galliae Regem, & Venetos, a Rege Catholico, cum aliis praeclariſſimis Ducibus, Vgone Cardonio praecipuo, in Inſubriam miſſus, Patauinum omnem agrum, & Vicetinum, nullo prohibente, populatus, cum audiſſet Liuianum cum exercitu aduentare, cum Cardonio, productis caſtris, duobus paſſuum millibus a Patauio conſidet. neque enim propius caſtrametari licuerat, quoniam Veneti per id tempus, quod uacuum a bello, atque ab hoſte otioſum fuerat, Patauium, tamquam belli arcem, & Venetiarum propugnaculum, mirabili ſtudio communiuerant. Ob id Cardonius, & Proſper, foſſam, per quam tuto copias, atque tormenta ad murum perducerent, facere inſtituunt, ea quidem ratione, ut egeſta humus in laeuo margine aggerem faceret, atque altitudine ſua commeantes milites ab omni miſſilium iniuria tueretur. ita ex tuto moenibus appropinquare, uineas agere, &, nouis operibus obiectis, muralia tormenta ſubuehere poſſe confidebant; ſed peracta iam aeſtate, Cardonius, & Proſper, nequidquam oppugnatione tentata, ad Albaretum prope Atheſim caſtra reduxerant. Quo facto, Cardonius, omnibus difficultatibus cognitis, ad milites concionem habuit, in eamq. ſententiam uenit, ut, hiems cum eſſet, omnes ciuitates maritimas deuaſtarent, ac omnia ferro, igniq. popularentur. Duces uarie de hoc ſentiebant: unus Proſper, qui, uirtutis militaris, inueterataeq. prudentiae fama; (quamquam ad Cardonium ſumma imperij reſpiceret) cuncta prope in eo exercitu adminiſtrabat, cunctator natura, & cui belli caſus, atque euentus maxime diſplicebat, multis rationibus Cardonij conſilium improbauit, immoderatam eorum fortitudinem, qui temeritatem pro diſciplina ſequerentur, coarguens. atqui ab euentu apparuit, Proſperum, qui temeritatem ſuſceptae expeditionis damnauerat, uatem futurum, ſi effuſior imber ſuperueniret: Patauium poſtea, & Crema obſidione cinxit, & in Vicetina Venetorum profligatione, & in Bergomo recuperando maximam eſt laudem adeptus. Caroli Quincti, aliorumq. Principum confoederatorum

Dux

Dux creatus, contra Franciſcum Galliae Regem, Venetos, & Genuenſes, Mediolanum, tunc ſub Gallorum ditione, expugnauit, Lotrechio ad Bicoccam ſuperato, quem ab Inſubria depulit: maximoq. honore Genuam, Mediolanenſemque agrum inuadens, ibi, per aliquot dies, Gallorum exercitui, Bonivetto Admiralo eorum duce, obſtitit, & iam ſexagenarius obiit, anno communis ſalutis Milleſimo quingenteſimo uigeſimo quarto.

ROBER-

ROBERTVS
REX. NEAP.

ROBERTVS, tertius natu Caroli Secundi, diſciplinam militarem ſub patria poteſtate edoctus eſt; quo magiſtro, adoleſcens bella uaria in Sicilia, aliiſq. regionibus, geſſit. Et uero animi magnitudinem, uitaeq. ſplẽdorem Regium, aemulatus filius patrem longe ſuperauit. Is, prius quam e Gallia Narbonenſi diſcederet, a Clemente Quincto Pontifice Maximo, qui tunc Auinione morabatur, patre defuncto, Neapolitani Regni ſucceſſor renuntiatus eſt. Quamquã, in ea poſſeſſione adeunda armata manu aditum ſibi facere coactus, breui, Guelfae factionis nomine, cuius ſe principem fecerat, paternum Regnum adeptus eſt. Cum uero ad Florentina praeſidia confirmanda aduerſus Gibellinos magnas copias tranſmiſiſſet, in memorando ad Montecatinum conflictu, in quo Guelforum robora attrita uniuerſae Italiae lacrymas excuſſerunt, fratrem, duoſq. fratrum filios, deſiderauit. His caſibus minime territus Robertus, in Liguriam uenit, maximo nobilitatis comitatu, ſub noſtrae ſalutis annum Milleſimum trecenteſimum decimum octauum. Itaque Genuam a Marci Vicecomitis, Matthaei Magni filij, ductoriſq. Gibellinae factionis, obſidione liberat. Hic ex ipſis muris ciuitatis hoſtem, quem ſex menſium ſpatio ſtrenue ſuſtinuerat, depellit. Poſtea, in Galliam profectus, Ioannem Pontificem conuenit, cum de foedere uerba fecit. Ex quo tantam eſt apud omnes nominis famam conſecutus, ut Florentini Carolum eius filium in Principem poſtularint. Hoc tempore Ceccum Aſculanum in foro combuſtum fuiſſe, referunt. Neapolim reuerſus, plurima praeclare geſſit, utq. eius in armis uirtus antea ſemper eluxerat, ita in religionis cultu pietas potiſſimum enituit. Nam portubus, aquaeductibus, arcubuſq. partim ſubſtractis, partim reſtitutis, amplificatiſque, ad pia monumenta conſtruenda animum appulit, quae poſteritas omnis eſt admirata. Videmus templum, Sanctae Crucis nomine, in quo eius uxor mulier religioſiſſima, condita eſt. Exſtat aedes Sanctae Clarae

in Gallia Narbonenſi, & in agro Hieroſolymitano S. Mariae Montis Sion nuncupata. Praeclarum Principis ſtudium, ac nobiliſſimum exemplum. Beliſarius, ut legimus in Bibliothecario, Guintarith perempto, deiectiſq. Vandalis, S. Iuuenali templum uouit, idemque fundis in Hortino dicauit ſub Vigilio Pontifice Maximo, per cuius manus, ubi Romam uenit, auream crucem, centum librarum, ut ſcribit Paullus Diaconus libro ſeptimo hiſtoriarum ſuarum, pretioſiſſimis gemmis exornatam, in qua uictorias reportatas deſcripſerat, S. Petro obtulit. Fuit etiam Mathildae, feminae inſignis, pietas. Sed, quod pertinet ad hoc pium ſtructurae opus, clamant & ueterum, & noſtrorum templa Deo Opt. Max. dicata, qui dum eiuſmodi curant, non tam in his terris futuris ſaeculis exemplum, quam in caeleſti patria, in omnem aeternitatem duratura erigunt monumenta. Quod ij maxime conſequuntur, qui non ex eiuſmodi fabricationis genere inanem ſtrepitum, uulgiq. opinionem, quam uberes Chriſtianarum uirtutum fructus, quaerunt. Id de Roberto Rege uere dici poteſt, quo nemo maiora pietatis in illis regionibus argumenta reliquiſſe dicitur. Cum uero pietati ſtudium diſciplinarum adiunxiſſet, nihil erat, quod in eo Principe poſſes deſiderare. Haec eſt illa oblectatio, haec felicitas imperandi, ut quia pij peccata auerſantur, quia prudentes iuſte gubernant. Quod igitur Plutarchus ſuadebat Principi, ut cum philoſopho diſputaret, Robertus, ſecutus Franciſcum Petrarcham, uirum eruditiſſimum, cui lauream promiſerat, eiuſdemq. diſcipulum Ioannem Boccacium, familiariter ad colloquium adhibebat, quorum amborum monumentis editis gloriam maiorem, quam ex armis, retulit. Deceſſit, plane ſenex, Regni ſui anno triceſimo tertio, Chriſti nati Milleſimo treceenteſimo quadrageſimo ſecundo.

ROBERTVS
SANSEVERINVS.

ROBERTVS, Sanſeuerina familia in regno Neapolitano clariſſima ortus, primum ſub Alphonſo Primo Rege diſciplinam militarem didicit, poſt cuius obitum Ferdinando Primo, qui ei ſucceſſerat, non minus carus fuit. Nam is hoſtes, qui in Regem coniurauerant, perſecutus, Calabros Regi ſubdidit. Hinc in Apuliam uenit, in qua ciuitates illi Coronae ſubiectas in fide retinuit, ac conſeruauit. Poſtea Salernum obſidet, Amiternum occupat, omnemq. late regionem Neapolim uſque Regi tradit. Quae altera Sicilia, a Trinacria, Scyllae, ac Charybdis paruo freto diſcreta, dicta eſt. Huius in continenti ſitae amplius quam tres partes ſupero, atque infero mari alluuntur: Quod reliquum eſt, montibus, ac fluminibus a reliqua Italia diſterminatur. Longitudo a finibus agri Reatini, quem Vmbilicum Italiae uocant, per Aquilam, Marſorũ urbem, uſque in Bruttios, & Leucopetram, millibus paſſ. circiter quadringentis protenditur. In qua ceterarum Vrbium primaria Parthenope eſt, quam Auguſtus Neapolim nuncupaſſe dicitur, licet olim Capua, nondum Romanorum, aut Hannibalis armis uexata, primatum gereret. In hoc ambitu terrarum, ſedato tumultu, Robertus, honorificis condicionibus, uocatur a Galeatio Sfortia, Duce Mediolanenſium. Quo defuncto, ſuperſtes uxor, Calabri hominis conſilio, qui illi erat a ſecretis, Lodouicum Sfortiam, Morum nuncupatum, aliosq. eidem ſanguine coniunctos, in exſilium compulit. Is erat Lodouicus, cui cognomen Moro ab inſigni fuit, in quo geſtabat arborem eius nominis, quae non prius efflореſcere ſoleat, quam hiemis iniurias effugerit; ac tum tutum fetum ociſſime edat, quaſi id ſibi inditum eſſet, mature conſilia ſuſcipienda, deinde celeriter explicanda. quod idem uetus illud, Matura lente, indicabat. Quamquam, in tanta opinione prudentiae, minus ceteris ſapere uiſus eſt, in eorum numero ponendus, quos in leuiſſimis ſuperſtitioſos, in grauibus delirantes agnouimus. Huius igitur aleam ſequi coactus eſt prudentiſſi-

dentiſſi-

dentiſſimus Robertus. Itaque ſe in Liguriam recepit, & Genuae, quae tum primum libertate potiri coeperat, conſedit. Interea Mediolanenſes, parato exercitu, Genuam occupare cogitant. Hac occaſione, Genuenſes Robertum militiae ducem ſibi elegerunt. Fit conflictus acerrimus: ad quindecim millia hoſtium caeſa numerantur; qui ſuperfuerant, omnes, fuſi, fugatiq. ſunt. Adhaeſit hoc tempore Roberto Lodouicus Morus; quo duce, caſtra plurima capta ſunt. His in Senatum Mediolanenſem relatis, ſtatutum eſt, plena concione, de Mori in Vrbem reuocatione. Itaque, non multo poſt, excipitur in patriae ſinu, ingenti plauſu, comite Roberto, ceterisq. exſulibus. Quamquam Sanſeueri no breue id fuit, ut eſſe ſolet in rebus humanis felicitas. Eijcitur eam ob cauſſam uir generoſus, quod eius fama in bellis gerendis Principis ipſius gloria quaſi obſcurari uideretur. Sed is, dum prudentiae uim ſimulationis artificio ſingulari praemuniret, in expugnatione Nouariae, captus a Gallis, in Locenſi turri, erepto ſcribendi ſolatio, carceris pedore necatus, profeſſus eſt, ſe id a Deo uindice pro ueteribus delictis iure paſſum. Interea Veneti ad ſe traxerant Robertum, quem aduerſus Herculem, Ferrarienſium ducem, imperatorem eſſe uoluerunt. Verum, eius prudentia pace conſecuta omnium Italiae Principum, communi eorumdem conſenſu Generalis acclamatur: quae dignitas ſingularis fuit; & quam inter tot duces, quos legimus, pauci ſane conſecuti ſint. Non multo poſt, motis Venetorum caſtris, ad fines Apuliae conuolat, ubi, facto conflictu, Regem Neapolitanum annuũ cenſum Innocentio I I X. familia clariſsima Malaſpina reddere renuentem, perſoluere coegit. Deinde omnem conatum adhibuit, ut ab Auſtriacis ablata opida Venetae Reip. reſtitueret. In quo conſilio ſocium habuit filium, patriae gloriae aemulum. Is erat Antonius Maria, qui fortiſſimum quemque ad Callianum Vicum ex Caeſarianis auſus fuerat ad ſingulare certamen prouocare. Prodiit Georgius Sonebergus, prodiit & Sanſeuerinus filius, qui, effracta ſubito in hoſtem haſta, equi uelocitate in ſaepta impegerat. Vrgebat eques Germanus. Ille, cum ex legibus, equum ferire prohiberetur, enſem ex aduerſarij manibus extorſit: tantum potuit in rebus dubiis non modo uis, ſed ingenium. Germanus, educta claua ferrea, in hominem acrius irruit. Arguit Sanſeuerinus Germanum iniqui certaminis. Ille, equo deſiliens,

parem pugnam init. Sed ecce iacent humi ambo. Iam plane Germanus ſe uictum profeſſurus erat, compreſſus Sanſeuerini armati pondere, cum, caſu comperto ad crus Itali pugione, punctim uictorem ex aduerſo in clunibus cedere inſtitit. Ceſſit Sanſeuerinus, cum iacenti, ac ſemiuiuo hoſti ſors uictoriam peperiſſet; atque arma hoſtilia ipſi hoſti decus praeripuiſſent. Non multo poſt hoc certamen Robertus pater, in Caeſarianos animatus, Tridentum properabat, eius Vrbis ſibi promittens uictoriam, cum inter pugnandum urgentibus aduerſariis, ad Atheſis ripas adactus, in Atheſim ipſum pugnans, equo uectus, concidit. Caſus notatus in Faſtis IV. Idus Sextilis, Milleſimo quadringenteſimo octuageſimo ſeptimo. Eo loci Sigiſmundus Imp. in perpetuum eius uictoriae teſtimonium, quam die ſacro S. Laurentij retulerat, eiuſdem nomine aediculam eo ipſo in loco ſubſtruxit.

RVDOL-

RVDOLPHVS . PRIMVS IMPERATOR

RVDOLPHVS, Comes Habſpurgenſis, probatae uirtutis adoleſcens, familiam ſuam, licet nobiliſſimam, maxime illuſtrauit: uerum, prae omnibus ornamentis, eum in primis pietas extulit. Accidit inter uenandum, dum per montium amfractus, ac deſerta Germaniae nemora damulas inſequitur, quarum frequens eſt uſus iis in regionibus, ut ſacerdotem, ad uillicum ſacram ſynaxim deferentem, inclementi caelo conſpicaretur. Equo deſiliens, conſcendere Vici Curionem perſuaſit. Ipſe uero dux, arrepto freno, imbre madidus, nudatoq. capite, ad mapalia uenerabundus acceſſit: poſt domum redeuntem omni humanitatis officio comitatus eſt. Quae pietas quam grata fuerit Deo Optimo Maximo, ea, quae ſecuta ſunt, futuraq. in omnem poſteritatem in ea familia digna omni laude, & admiratione dignitatis inſignia fidem faciunt. Cum igitur de Imperio decertaretur, conſentientibus uotis Francofordiae Imperator electus, Aquiſgrani Coronam accipit Milleſimo ducenteſimo ſeptuageſimo tertio anno humanae ſalutis. Poſtea, Octocaro, qui imperata facere recuſabat, bello ſubacto, Regnum Boemiae ſibi ſubdit. Hic, dolens, nobiliſſimam Boemiae ditionem Imperatori fuiſſe conceſſam, iterum bella ſuſcitat; uerum breui factum eſt, ut, utrimque coactis copiis, equo deiectus, Octocarus ab Imperatoris ſeruo occideretur. Reliqui, partim fuſi, partim necati, Rudolpho uictoriam reliquerunt. Auſtria confirmata ſub Imperij maieſtate, Albertum filium Auſtriae Ducem creat, unde Auſtriaci Principes longo ordine ſtirpe clariſſima exſtitiſſe dicuntur: Rudolphus, minime elatus triumphis ab exteris reportatis, ſuam etiam Germaniam, tunc temporis tumultuantem, ac lattociniis foedatam, purgauit, praedonum arcibus, tamquam infamibus ſcopulis, ad ſexaginta funditus euerſis; ſublatisq. ſicariis, qui per regionem illam, ſub tanto Principe flo-

rentiſſimam, liberius debacchabantur. Hinc ad Aeduos profectus, immanem illam belluam, quae, ſimulato Friderici nomine, circumcurſabat, exercitu collecto, captam, flammis damnat. Princeps certe omni laude digniſſimus, qui non modo Italiam perturbare non ſit auſus, ſed hunc quoque, Friderici Secundi falſo cognomento in Italiam ſe ſe inſinuantem, penitus ſuſtulerit. Id ad cumulum laudum tuarum, Rudolphe, ad inſignem gloriam rerum a te geſtarum addatur, quod numquam ad nos ui ingrediundi conſilium ceperis. Exſtat uetus apologus, quem ille iactare ſolebat. Aegrotantem ſe finxerat Leo, inter beſtias ferociſſimus. Ad hunc, quaſi ad Regem, ceterorum animantium fiebat concurſus. quorum ut erat ingens in acceſſu numerus, ita ne ſignum quidem redeuntium apparebat. Sola uulpes uafra ſalutationis officium praetermiſerat. In iudicium uocata, egregie cauſſam dixit; dubitare ſe uehementer, quod nulla retrorſum ueſtigia apparerent; cum accedentium tam multa eſſent impreſſa. Sic ſane, eorum, qui in Italiam furentes ueniſſent, Italiam ipſam ſepulcrum exſtitiſſe. Fuerit Italia exterorum tumulus, qui, caeli clementia, ac bonorum omnium in ea copia allecti, potiri conati ſunt. Exſtincti ab ultimis terrarum partibus auulſi Vandali, deleti Longobardi, Hunni, Gothi, & quotquot ſiue ex Septemtrione, ſiue quibuſcumque locis, ad has feliciſſimas ſedes conuolarunt, attriti ſunt. Cum leges, maieſtas diuina, & humana, omnia hoſtibus tradita uiderentur; eorundem cladis non lex, ſed eorundem libido finem fecit. At Rudolphus, Princeps alioqui pius; & clariſſimus, niſi auaritiae maculam non nulli adſpergerent, Comitem Virtembergenſem Eberhardum inuaſit, Stutegardium obſedit: ſed cauſſa deinde per Epiſcopum Moguntinum tranſacta eſt. Dum praeclara molitur Rudolphus, inuitatus a Summo Pontifice ad Sacroſancti, & auguſtiſſimi Sepulcri reſtitutionem, inter concepta uota, ad immortalem Hieruſalem iter parat, relicta noſtris ſaeculis tam inſigni uictoria. Prouidus ſenex huius uitae exitus, Principibus Viris Francofordiam accitis, Albertum filium Romanorum Regem deſignare contendit. Id illis renuentibus, Argentinam profectus, inde Erfordiam, ubi aegrotare coepit. Hinc Spiram, ueluti

ad tu-

ad tumulum, mortales depoſiturus exſuuias, properans, in Gemersheym diem ultimum claudit. Hinc Spiram humeris totius nobilitatis deducitur, ubi ſepultus eſt aetatis anno ſeptuageſimo tertio, Imperij decimo octauo, ab optatiſſima conceſſa diuinitus ſalute Milleſimo ducenteſimo nonageſimo primo.

SFORTIA . COMES

NATVS eſt Sfortia Cotignolae, ueteri Togatae Galliae opido, in Flaminia, matre Eliſa, fecunditate admirabili, quae uiginti liberos ad arma ediderit. Luſtrico die, rite ſacro fonte abluto puero, Iacobi, ac Mucij nomen inditum eſt: quã quam, priori oblitterato, poſterius retinuit, donec, ab ingenij, uiriumq. indomito quodam uigore, Sfortiae cognomen tulit. Hic, primum, apud Boldrinum, qui Pontificiae militiae ſceptra tenebat, tirocinio poſito, ab Alberico Barbiano, Brolio, & Aucutho, illuſtri fulgure, ſecunda fama ita militauit, ut ſemper uberiore ſtipendio, & maiore praefectura dignus haberetur. Primus autem Albericus equitum cataphractorum ordinem inſtituerat, adinuento concluſae, duplicisq. galeae genere, quod Gothico nomine Elmectum uocamus. At Brolius Brandolinus Foroliuienſis, egregius copiarum ſui temporis dux fuit; primusque, eiectis Theutonicis, ac Gallicis, ceterisq. ducibus externis, ut Pij Secundi Pont. uerbis utar, Italicam militiam ad eorum temporum ſplendorem reſtituit. Sfortia, dux ſummus, operam nauabat Gregorio Duodecimo, Alexandro Quincto, & Ioanni Vigeſimo tertio, a quo, inſigni liberalitate, pro quattuordecim millibus aureorum, in rem Sedis Romanae impenſis, Milleſimo quadringenteſimo undecimo, Cotignolam patriam dono accepit. Erat ſane adoleſcens, cum, militum praefectus a Florentinis creatus, cum Ioanne Galeatio dimicans, Piſanos ſubdidit. Apud Aquilam, uictor captiuos omnes una uoce liberat, bello ſine ſuorum ſanguine confecto. Quo exemplo adducti, Iulius Caeſar Capuanus, Carolus Martianus, & Chriſtophorus Caietanus reſtitutis urbibus, ac opidis, ad Reginae imperata redierunt. Eſt etiam memorabilis ea acie, qua ad Sebethi amnis pontem iuxta Neapolim pluribus horis dimicauit. Quo tempore auctore Martino Pont. reducebat Sfortia Lodouicum Andegauenſem in auita, paternaq. iura. Ac in proeliis Neapolitanis tantum intrepidi ducis nomen eſt conſecutus, ut Neapolitanis ualuis Regis uexillum impoſuerit. Quo facto, Alphonſus exclamauit, ſe Sfortia fortiorem uidiſſe neminem. Tanta nimirum eſt uirtutis uis, ut uel

hoſtes

hoſtes ipſos concilient. Itaque, in Alphonſi, ac Reginae gratiam reſtitutus, praeter dignitatem priſtinam Conneſtabilis, dono etiã Apeneſten accepit. Deinde Ladiſlaum Regem, ac Braccium, arcem Hadrianam prementem, Ioannae Reginae copiis repulit. Locauerat ad Appiam uiam caſtra ſua Sfortia, cum miſit per praeconem ad Braccium cruentem chirothecam. Eundem Martini Pont. auſpiciis inſecutus, in expugnatione Capitonis, celebris olim noſtrorum Roſciorũ uillae, uitae periculum maximum adiit. Inde ad mirandum Planci ſepulcrum hoſtium inſidias ſuperauit. Cauſſa autem inimicitiarũ inter Braccianos, ac Sfortianos haec refertur. Quod, Sfortia, ad Beneuentum, in carcerem coniecto, Braccius opida in Tuſcia inter Caſſiam uiam, & Aureliam, Sfortianae ditionis, Tartaliae occupanda tribuiſſet. Interea itemm ſubortae lites inter Alphonſum, ac Ioannam Reginam. Aduolat eo Sfortia; fractiſq. hoſtibus, ac ductis captiuis uiginti tribus ex flore nobilitatis, ac ſexaginta equitibus, maximeq. abacta praeda, Reginam defendit. Pro quo inſigni beneficio dono accepit Tranum, ac Barlettam, nobiles Apuliae urbes. Hinc factum eſt; ut Ioanna, repudiato Alphonſo, Aloyſium ſecundum in filium adoptauerit. Fuit uero Sfortia inſigni pietate, qui Boſſum patruelem ex caſtrenſi per hiemem fatigatione neruis conuulſum diligentiſſime fouerit, elatumq. apud Spoletum inſigni pompa fratrum intulit ſepulcro. Properabat Sfortia ad Aquilae defenſionem III. Non. Ianuarij, cum in ipſo honorum curriculo raptus eſt. Anxano Vrbe, & Buccianico, Millionicoq. deiectis, Buccij praeſidiis Orthonã peruenerat, ubi, inſigni religione, Natali Chriſti optimi celebrato, ad Aternum amnem contendit. Is hodie à Piſcara opido nomen habet. Ad oſtij fauces uado pertentato, Franciſcus, Sfortiae filius, aliiq. armati, cum ſexcentis equitibus, amnem tranarant, ſequente mox Sfortia, qui, eo rurſus equum impellens, ut exemplo trepidos milites irritaret, dum armigero puero periclitanti protenſa dextera opem affert, coenoſo ſubſidente uado, grauantibus armis, ſibi & mortem, & tumulum ſtruxit, cum bis armatam manum ſuſtuliſſet annum quinquageſimum quartum, ſalutis humanae Milleſimo quadringenteſimo uigeſimo quarto.

SIGIS-

SIGISMVNDVS MALATESTA

SIGISMVNDVS Pandolphus Malateſta, eius Pãdulphi filius ſputius fuit, qui, Bergomo, ac Brixia potitus, Comum, imperãte Inſubribus Io. Maria, uaſtauerat. Quae urbs clariſſima, rediuiuis, maioribusq. opibus, non ſecus, ac Roma Neronis incẽdio, reſurgens, potiſſimũ nobilitata eſt Iouiano Muſaeo, in qua pleraeque clarorum in armis, ac litteris uirorum inſignia, elogiaq. ſpectantur longe elegantiſſima. Fuit ibidem celebrata Plinij platanus; qua parte Muſaeum aſſurgit; ut ad Iouis Hammonij collem fons, Plinij quoque nomine celebris, eſt, unde ille ſe ſpectaſſe ait lacum Vadimonium, item digniſſimus, qui Iouis ſtylo, una cum ſoceri ſui uilla, illuſtraretur. Reuertor ad hiſtoriam. Ariminum ciuitas eſt ſplendidiſſima, in litore Hadriatici poſita, ubi Eridani planities terminat, ad meridiem uergens. Hic natus Sigiſmundus, ab ipſis, ut Graeci dicunt, unguiculis arma inſigni cum laude tractauit. Nam, concertante Io. Malateſta, ex ſtipite Paulli, Glagioli, ut loquuntur, Comitis, nomine, aduerſus fratres, quos intra domeſticos parietes detinebat ſupra aetatem, uix enim agebat annum tertium decimum, contento curſu Caeſenam aduolans, collectis copiis, eodem die periclitantem patriã, ac ſuos conſeruauit, Caeſenamq. in fide retinuit. Deinde Alphonſo Regi operam ſuam nauauit, ſub quo mille & octingentos equites, ac pedites ſexcentos duxit. Ab Alphonſo, prout ferre ſolet rerum humanarum uarietas, ſe ad Florentinos tranſtulit; a quibus ſummum militaris imperij decus conſecutus eſt. Defuncto Alphonſo, ac Picinino, per agrum Picenum pro Andegauenſibus aduerſus Ferdinandum Alphonſi filium caſtra mouenti, acriter reſtitit; eidemq. quaſi ſe murum oppoſuit; dum in Vmbriam irrumpere omnibus artibus tentat. Quo tempore pro S. R. E. exercitum ducens circa Liuij, Cornelijq. Forum plurima caſtra in rem Romanam reſtituit. A Pontifice adhaeret Florentinis Milleſimo quadringenteſimo quadrageſimo ſeptimo; quibus opida omnia, quae Alphonſus, Ferdinandi pater, ademerat, recuperauit.

perauit. Hinc ſuppetias uenit Populoniae in Etruria; poſt, Florentino exercitu; Venetis auxilia praeſtat, in Cremae obſidione; a quibus Princeps exercitus creatus, ad Peloponneſum profectus, Spartam, urbem celebrem, acriter oppugnat. Inde ſe ſe Mantineam, Arcadiae urbem, recipit, ubi partes omnes, quae in duce requiruntur, cumulatiſſime perſoluit, uſus prudentia, ac uigilantia, in rebus agendis, ſingulari. Venetiq. exercitus imperator, cum Mahumete, Scytharum Tyranno, decertãs, Peloponneſum, Graeciae prouinciam, illi Reip. ſubegerat. Hinc in patriam cogitans; diu deliberationem diſtulit. Nouerat dux inſignis, rerũ ſuarum ſe abſente euerſionem. Retinebant illum procul ab Italia Venetorum commoda, quorum res, ſe recedente, in periculo fore praeuidebat. uicit tamen patriae caritas. Sed, antequam ex eo litore ſolueret, qui uiros ſtudioſos fouerat ſemper in patrio ſolo, etiam inter arma, in exteris, aridiſq. cineribus, declarauit. Secum ille Themiſtij Conſtantinopolitani, quem acceperat poſt Ariſtotelem Graecorum doctiſſimum fuiſſe, oſſa in Italiam transferenda curat; eaq. Arimini in templo magnifico, inter praeclara opera, S. Franciſci nomine, uariis tormentis, & picturis intrinſecus, & extrinſecus illuſtri, conſtruxerat, marmoreo tumulo condidit; qui ad hunc uſque diem perdurat, hoc plane epigrammate, quod digniſsimum uiſum eſt, ut Sigiſmundi elogio insereremus:

Themiſtij Byzantij philoſophorũ ſuae tempeſtatis Principis reliquũ Sigiſmundus Pandulphus Malateſta Pandul. filius, belli Pelop. quod aduerſus Turcarum Regem Imp. ob ingentem eruditorum, quo flagrat amorem huc afferendum, intromittendumq. curauit

CIↃ CD LXV

Nam is ita litterarum amantes complexus eſt, ut & domi liberaliſsime aluerit claros in armis, & oratores, ac poetas, eoſdemq. ad familiares congreſſus ſaepe adhibuerit. De eo uno plura leguntur in hoc genere magna, quam in pluribus reperias. Io. Antonius Campanus, Braccij uitam fuſe deſcriptam Carolo Fortebraccio filio oblaturus, forte Arimino iter fecerat. Is fama dumtaxit Sigiſmundo notus fuerat. Hominem e publico hoſpitio in aedes a ſe honorifico cultu ſubſtructas una cum comitatu ſublatum Regio apparatu triduo detinuit. Abeuntem uero ab electa cohorte uſque ad Apennini iuga perductum itineris incõ-

moda magna ui auri ſubleuauit. Quibus ſaeculis, aut eis Beſſario Cardinalis, omni memoria digniſsimus, cum ſe uiri docti inuiſerent, comitante aula ad fores uſque prodibat obuius: tantus honos uirtuti debitus exhibebatur. Sigiſmundus, qui uirtutem in aliis ornarat, a Sigiſmundo Imp. ipſe quoque in foro Ariminenſi eques creatus eſt, cum is in Vrbe Coronam ab Eugenio accepiſſet, febricula correptus, mortalem ſe, atque in primis Romanae Sedis filium agnoſcens, certus beatae uitae, ea omnia praeſtitiſſe dicitur, quae Chriſtianum hominē decerent. Geſſerat enim ille cum Pio Secundo, pro re ſua, quae ſaepe etiam ſapientes fallit, graues inimicitias. Diuino beneficio factum eſt, ut tantum illi uitae concederetur, donec, ab Vrbe Roma abſolutione mutua perlata, acceptis omnibus Eccleſiae rite ſacramentis, pie ab hac uita ad meliorem, ut ſperamus, deceſsit, uix Princeps Ariminenſium, qui a maioribus ſuis hereditario iure Vrbes quindecim, caſtraq. ducenta accepiſſe dicitur. Sepulcrum in templo Sancti Franciſci a ſe erecto dextrorſum ingredientibus indicat Sigiſmundum obiiſſe VII. Idus Octobr. aetatis anno quinquageſimo primo, humanae ſalutis Milleſimo quadringenteſimo ſexageſimo octauo.

STE-

STEPHANVS . COLVMNA PRAENESTINORVM . DOMINVS.

STEPHANVS Columna, Iulij Caeſaris, Praeneſtinorum Principis, pater, quem filium unicum, poſt alios multos auorum imitatores, qui ad aeternam gloriam praecurrerunt, Romana Vrbs ſuperſtitem colit, Id nomen conſecutus Stephanus, quod & coronam, & cum referat, qui Tribuno Pleb. Rentio, eiuſdemq. aemulo Varoncello Tyrannis, domitis, patriae redditus, a qua, odio nobilitatis, pulſus fuerat, Vrbi quietem, ac Capitolium ſuum decus reſtituit. Hic eſt, qui, cum in armis conſenuiſſet, hortanti Franciſco Petrarchae, familiari ſuo, ut animum a bello ad otium traduceret, reſpondit, Romano ad tumulum uſque pro dignitate, ac libertate patriae eſſe dimicandum. Ex huius domo, quae optimorum ſtudiorum, & uerae uirtutis ſemper domicilium fuit, Stephanus item ortus eſt is, de quo dicere coepimus. Vt uero hoc quoque natura inter alia illi munificentiſſima elargiretur, primarias Italiae familias parentes agnoſcit, paternam quidem Columnenſem, ex Franciſco; maternam uero Viſinam, ex Vrſina item, Grauinae domus nobili matrona. Non igitur illi opus fuit aliunde petere diſciplinae militaris rudimenta, qui domi natos praeceptores haberet. Is puer, ſupra aetatem, ad omnes pedeſtres, & equeſtres exercitationes, tenerum membrorum compagem ita aſſuefecerat, ut longius circulari palaeſtra uti, in arena furentem taurum coercere, aliasq. generis eiuſdem domeſticas pugnas non modo appetierit ipſe, ſed etiam inter ſubditos ſuos, quibus parentis loco fuit, ſemper inſtituerit. Elegerat, ut erat acerrimi iudicij, felici auſpicio Proſperum Columnam, ſub quo, multis militiae honoribus clariſſimo, non modo in flore illo aetatis ſpem conceptae gloriae dederit, ſed etiam maxima reliquerit argumenta induſtriae ſuae. Praeclaram militaris laudis ſemitam ingreſſus Stephanus, Philippi Macedonis praeceptum tenebat, Multo conſilio bella ſuſcepta, cele-

ritate maxima conficienda. Repetebat pleraque ab antiquis ducibus iactata: ut illa: In bello nihil tam leue eſſe, quod non magnae interdum rei momentum faciat: Et: Si non laceſſantur iniuria, quieſcere; ſi concitentur, pacem bello mutare: eoſdem, re bene geſta, rurſus ad concordiam redire: neque procliorum proſperitate extolli, neque ex pace otio debere diſfluere. His, ac ſimilibus, quae eius artis magiſtri melius norunt, praeceptis inſtitutus adoleſcens, Italiae cohorti praefectus, in bello Mediolanenſi primum uerſatus eſt. Picocha tribus paſſ. millibus diſtat Mediolano, qua parte plurima uiridaria perennibus fontibus, deductisq; riuis amoeniſſimo, ad prata irriganda profundis uallis muniuntur. Hic Proſper conſtiterat, locum tutum ratus, ut hoſtem ab Vrbe excluderet; quod unum ante omnia, poſtquam ciuitate exierat, ſemper optabat. Stephanus, ubi conuenit, locum luſtrat, caſtra figit, inuigilat, quam primum hoſtem adoriri cupidus. Pugnatum eſt eo ipſo in loco. Cecidere in proelio Heluetiorum tria millia, cum decem & ſeptem eorum ducibus. In Caeſaris exercitu ſane pauci deſiderati. Dux unus Io. Cardonenſis, Coloſſani oppidi in Sicilia Comes, dum in medio ardore pugnae caſſidem eleuat, ut quid agendum foret, abſque impedimento cerneret, ſagitta in ipſo uultu transfixus, occubuit. Victoria tributa eſt Columnenſibus. Nam, alba cruce, qua Galli utebantur, in rubram mutata, nitebantur una cum Caeſarianis caſtra ingredi; ſed, detecto dolo, iubet ſuos omnes Proſper herbae, aut ſpicarum, quibus agri tunc referti erant, manipulos capiti imponere, ut ſic ab hoſtibus dignoſcerentur. Deinde Murganus Parmenſis pontem Sublicium, quo extra aggeres urbis iter erat, occiſo cohortis Centurione, qui in ſtatione erat, Gallis prodere tentans, tres ſceleris conſcios collegerat. Inter hos, iureiurando Ioanni Ferrarienſi, Stephani Columnae a peditatu, praemium, quod ab hoſte accepiſſet, ſe communicaturum, pollicetur. Ferrarienſis, fidei plenus, ut proditoris certior fieret, operam ſuam liberaliter exponit. Hic, cum cognouiſſet, quid ſe facere, & qua hora uellet, exemplo Stephanum Columnam ducem ſuum adit: re q. patefacta, Stephanus, ac Ioannes Medices, crimen una aegre ferentes, comprehenſos coniuratos, diſquiſitione

quiſitione per quaeſtionem habita, criminis reos lanceis ab ip-
ſis militibus transfigendos mandarunt. Tanta nimirum fuit
Stephani fides, ut ea etiam ad ſuos quoſque infimos pertine-
ret. Ipſi eo expugnationem Genuenſem, Caeſari tributam ope-
ram, ad Fruſinonem in Latio data auxilia: quo loco primus in
pugna eum pontem occupauit, quem praeſidia maxima non
modo noſtrorum, ſed exterorum etiam tenebant. Dicent alij,
ſacrum foedus Neapolim ſecutum eius exercitus, cuius infau-
ſtum exitum Summo Pontifici multo anta praedixerat; & in In-
ſubria Italos cohortatum, ut, ſi ceteri eundem adhibuiſſent co-
natum, penes Gallos uictoria futura uideretur. Praedicabunt,
ut pro Republica Florentina ad Sanctum Miniatum, ac Sanctum
Donatum, licet in impubio, & in ore duplici accepto uulnere,
in uallum hoſtium ingreſſus, niſi aliunde reuocatus fuiſſet, plane
obſidione Vrbem liberaſſet. Addent his, ut una cum Admira-
lio ab Italia digreſſus arcis Auguſtae Taurinorum fundamen-
ta iecerit, ſecutusq. Franciſcum Regem, dum Galliam Braca-
tam Carolus Quinctus bello infeſtat, inde uitato in ſe conjura-
torum dolo, qui eius gloriae inuidebant, in Italiam reuerſus, a
Paullo Tertio Imp. Romani exercitus creatus, pro Camerinen-
ſi reſtitutione, magna cum laude uerſatus fuerit. Verum, quod
ante haec geſtum eſt, & his omnibus ego praeferre ſoleo, quodq.
futurum eſt perpetuum apud poſteros eius pietatis monumen-
tum, id eſt, quod in Romanae Vrbis obſidione ita hoſtem de-
tinuit, Borboniumq. coercuit, ut illi uitam acceptam tulerit
Clemens Pontifex Maximus, tribueritq. uni, quod tantum tem-
poris ſibi eſſet conceſſum, ut ſaluus, ac uiuens in arcem Hadria-
nam ſe ſe reciperet. Quo beneficio, gratus Clemens, dono illi
dedit Stronconium opidum, quod eſt in antiquis Sabinis, in fi-
nibus Interamnae, & noſtrorum Cardulorum. Sed, ut finis ſit,
uocatus Stephanus a Coſmo Medice, praeficitur toti exercitui,
ac poſt ab eo pro rebus grauiſſimis ad Caeſarem in Germaniam
mittitur, unde inſignes ab ijs regionibus in Etruriam honores
retulit. Non multo poſt, dux aeque amantiſſimus, in omnes li-
beralis, militum non modo comes, ſed ſocius, & in primis reli-
gionis ſtudioſiſſimus, pro clariſſima Medicea familia Piſis, in le-
ctulo cubans, qui toties in armis fuerat, ex bellorum, & longo-

rum itinerum laboribus morbo contracto, ad aeterna praemi properauit. Ductum eſt funus ſplendide, habitaq. Etruſca oratio a Benedicto Varchio, oratore celebri, XIII. Kal. Aprilis, Milleſimo quingenteſimo quadrageſimo ſeptimo. Cui ego quoque carmen addidi:

Haec Stephanum tegit urna, parens maeſtiſsima Roma
Optaſſet patrio quem tumulare ſinu.
Omne ſolum patria eſt, inquit fortiſſimus Heros,
Defendi & patriam, ſim licet hoſpes humo.
Ne lacryma, externum cernis quicumque ſepulcrum:
Indigetem caeli me patria una tenet.

TAMER-

TAMERLANES
SCYTHARVM. IMP.

TAMERLANES, in propinquis Maracandae montibus, atque abditis nemorum ſaltibus, apud Perſas, infimae ſortis opilio, natus eſt. Hic ab aequalibus, paſtorali more colludentibus, Rex fuerat creatus. Iuramento eos obſtringit mandatis obſequi: iubet pecus diuendi, & in aciem prodire, ſperans fore, ut ex parua, humiliq. condicione, in qua deliteſcere uel omnium ſordidiſſimi didiciſſent, ad maximae, inopinataeq. felicitatis gradum perueniret. Imperata ſequitur agreſtis hominum cohors. Dux Tamerlanes Temirus Guthlus eſt appellatus, quae uox, Scythica lingua, Fortunatum gladium exprimit. Breui duo millia hominum collecta ſunt, qui ex pagis, uillisq. collectam praedam inter ſe aequiſſime diuidebant. Itaque accolae plurimi Sogdianae regionis, Oxianae, atque Alexandriae, ſuper amnem Tanaim, ad Alexandri memoriam conditae, tum regnandi auiditate, tum ſpe libertatis, allecti, ſe illi coniunxerunt. Hac expedita latronum manu, Tamerlanes tot copias breui contraxit, ut illis ob immenſum numerum alimenta uiderentur defutura. His copiis gentes immanitate barbaras perdomuit, quas nec Darius Perſarum Rex, nec Macedo, nec Cyrus Medorum Rex ſuperauit: quorum alterum turpi fuga depulſum, alterius ducem Zopyrionem cum omnibus copiis deletum, & Cyrum denique cum uniuerſo exercitu attritum ueterum monumentorum ſcriptores prodiderunt. Ille uero, ad Perſidis imperium ſenſim adſpirans, fratres inter ſe certantes conſpicatus, uafro ingenio, alterius ita partes ſuſcepit, ut, per Calderanos campos uno deleto, alteri ſuperſtiti, ac miſerias ſuas collacrymanti, Regnum ſubtraxerit. Digna quidem haec ſunt admiratione: ſed illud potiſſimum, quod, ſe Dei Maximi iram eſſe, atque deprauati ſaeculi funeſtam cladem, pronuntiaſſet. Conuerſus enim is in Ligurem, licet amicum, Niſi magna, inquit, quam meri-

tus es,capitis poena plecti uelis, hinc faceſſito. Quibus diri Tyranni uerbis cum ille, pro familiaritate, qua cum eo utebatur, de clementia monuiſſet, peregre abiens, nuſquam poſtea in Tamerlanis conſpectum uenit. Hac ſeueritate, & bellorum gloria, aliquot Armeniae urbibus captis, & Sulthania Perſarum olim Regia direpta, incenſaque, dextrorſum iter flexit, atque, Euphrate ad Arſenſangam ſuperato, in uniuerſam Cappadociam ingenti exercitu ſe ſe, torrentis more, effudit. Interea conuenerunt Baiazetes, Turcarum Rex, ac Tamerlanes, ſuis copiis. Hinc per agmina circumducuntur ſagittarum faſces: inde, declinato ſcutis ſpiculorum imbre, haſtis certatur; interim tamen, quaſi denſiſſima labentium ſagittarum grandine ſternuntur aduerſarij. Nuſquam auidius ſanguinem mortales ſitierunt. Inclinante ad occaſum Sole, uictoria ad Tartaros aduolauit. Hic Baiazetes, ex equo, ſagittis transfixo, collapſus, ad ludibrium ſeruatus eſt. Centum & quadraginta millia hominum caeſa dicuntur: ſpolia aeque partitus eſt militibus Imperator. Erat enim Tamerlanes aequiſſimus rerum aeſtimator. Abſtulerat gregarius miles mulieri, paſtoriciam uitam agenti, coagulatum lac, quo illa ſuſtentabatur: ſupplex Imperatorem adit: rem, ut acta erat, narrat: facturum ſe iure, modo hominem recognoſcat, confirmat. Luſtratur ſubito exercitus: fur ab ea cognitus morte multatur. lac in extis ipſis compertum, & furtum aperuit, & poenam comprobauit. Ille uero, per Taurum montem in Meſopotamiam irrumpens, triplici illo tentoriorum colore omnes terrebat. Circumſederat is Vrbem feraciſſimam. Ciues in primis per nuntium ad deditionem ſollicitat. ab his duo poſiti ſunt dies ad deliberandum; tertio aduentante, omnium funeſtiſſimo, quo extrema Vrbi incendia inſtarent. Deſperatis rebus accolae efferati, atque inexorabilis uictoris animum mitigare ſe poſſe, ac flectere ſperantes, delectam manum puerorum, ac puellarum, chorum longo ordine ducentium, alba ueſte, olearumq. ramis, ad Tamerlanem mittunt; ut geſtu ueniam poſtularent, cum uix loqui didiciſſent. Hos procul ut uidit Tartarus ab Vrbe egreſſos, plane immanis, fortiſſimas equitum alas in tenera puellarum agmina dimiſit, abdicatoq. prorſus omnis clementiae, atque humanitatis offi-
cio,

cio nil tale emeritos equitum pedibus contriuit. Inde, Vrbem ingreſſus, omnia ferro, ac flammis abſumpſit. Itaque nemo erat, qui non illi ſe ultro, ac libenter, daret. Tandem, ubi Samorcandam in patriam rediit, quam unice amabat, eam ut nomine illuſtrauit, ita opibus, ſpoliisq. ditauit. Hic praeſidia poſuit, ludos agonales inſtituit, ac ſpectaculum, ueterum Romanorum more, exhibuit. In cubiculo inter dormiendum phialte praefocatus, orbis ille terror occidit, anno a partu Virginis quadringẽteſimo ſecundo ſupra Milleſimum, ante quinquageſimum aetatis annum, Pontifice Bonifacio Nono, duobus relictis filiis: quibus inter ſe contendentibus, breui ſpatio temporum, Aſiae regnum ad Othomanos rediit.

TANAQVILLVS
CASTELLVS

TANAQVILLVS, ſummo loco, in Prouincia Britannia Armoricae, Leonen. dioec. in finibus terrae, peruetuſta familia Caſtella ortus eſt, hodie in ea Prouincia exſtincta, ob unicam tantum ex ea feminam, quae Domino Caſtelli Noui, ex Lauallenſium familia Britanna, nupſit. Hanc familiam eandem eſſe cum ea, quae in Italia, & praecipue in Vmbria, per tot ſaecula diuerſos, illuſtresq. Principatus habuit, ijdem illi Caſtelli Galli affirmabant. adhuc etiam Interamnae Nahartium, titulis, iuriſdictione, opibus, eximijs honoribus, clarisq. uiris maxime pollet, qui, compluries Caſtellis Gallis conuentis, tamquam cariſſimi conſanguinei ab iis agniti fuere. Quin etiam, antiquitus a Regno Burgundiae, ex inclyta Gundiochenſium familia hanc manaſſe, hincq. in Italiam, & Vmbriam, (ubi tunc Spoletij Theodoricus, Italiae Rex, reſidebat) perueniſſe, clariſſimis conſtat argumentis. Quo tempore Caſtella, ob rubeum Caſtellum in albo campo, quod ipſi in armis ferebãt, (Regni Burgundiae id antiquum inſigne) uocari coepit. de quo, praeter certiſſimas traditiones, ad noſtra uſque tẽpora ſeruatas, tot exſtant monumenta, ut nullo id pacto poſſit in dubium reuocari. Ab hac quoque familia, diuerſis temporibus, uariis Imperatoribus, & praeſertim ſub Friderico I. & II. iſtius nominis, aduerſisq. euentibus, tamquam à fecundiſſimo Illuſtris Proſapiae Seminario, (mirabile dictu) permultae aliae illuſtres familiae ortum habuere, & praecipue Mediolani, Bononiae, Neapoli, atque in aliis Clariſſimis Italiae ciuitatibus, a quibus ſemper inter praeſtantiores Patricios connumerati ſunt; hisq. honoribus, & praerogatiuis, per multa ſaecula ſunt potiti. Verum, ad Tanaquilli egregia, praeclaraq. geſta redeundo, is, Lutetiae Pariſiorum Praepoſiti Gradum conſecutus, tumultus a Ioanne, Duce Burgundiae, illic periculoſe excitatos, urbe defenſa, fortiter, & prudenter ſedauit. Inde Caſtellum Montelerium aggreſſus expugnat: ut & alia loca a Burgundis ui occupata. Poſtea Locumtenens

nens factus Caroli Delfini, qui poſt Rex, Septimus eius nominis, fuit, Montelerium, rurſus a Burgundis uexatum, graui obſidione liberat. Inde, inito foedere cum aliis Regni Magnatibus, ardenti ſtudio, apud Sanſerram, Anglis, a Philippo, Ducis Ioannis filio, adiutis, ſe opponit: oblata pugnandi facultate, & ab illis non accepta, in tuta illa expeditione uirtutis ſpecimina multa edidit. Totius Galliae adminiſtratio penes illum erat. Carolo Regi tam carus, ut ab eo ſemper uocari uoluerit filius: quemadmodum illum non aliter ac patrem, & uoce, & litteris, ad illum datis, ſemper appellaret. Non minus gratus erat Lodouico XI. ſub quo egregiis muniis obitis, in bellicis negotiis praecipue excelluit: quorũ cauſſa, in prima inſtitutione Ordinis militaris Sancti Michaelis, ſub annum reſtitutae ſalutis Milleſimum quadringenteſimum trigeſimum facta, auctore Paullo Aemilio Veronenſi, cum aliis ſex & uiginti torquem aureum meruit. Quibus his eximiis, tanto uirtutis merito, uiris, Rex Lodouicus tantũ detulit, ut, quid quid umquam feliciter uel in Gallis, uel Belgiae bellis ſuccederet, id omne illis acceptum ferret. Cum in acie, furente Marte, fama de caeſo Rege temere uulgata, amentes, ac prope torpidi milites, pro eius cauſſa capite pugnarent dubij: Lodouicus, cognito ſuorum errore, caſſide detracta, ſe oculis ſuorum ſpectandum praebens, omen mortis hoſtium cruore expiari iuſſit. In his, ac generis eiuſdem certaminibus, erat ſatis probata Tanaquilli gloria. Quamobrem Lodouicus is, eiusq. filius Carolus II X. qui recta Valeſiorum lineae finem fecit, emeritis militiae ducibus diſtribuendo praemia, torquem dedere: eo dicto: Immenſi tremor Oceani, quod inſigne belli, ab illis uſque temporibus, tanto in honore eſt habitum, ut id etiam ad Regem Britanniae miſerit. Color uero corporis Tanaquilli erat albus: oculorum, & crinium caſtaneus. Verum addamus nos hoc Epitaphium tumulo eius: ut ipſe de ſe loquatur:

Hoc tumulo, Tanaquille, iaces? uix nomen, & aureum
Inſigne aſſeruat marmore ſacra dies.
Bella ſilent, uictiq. hoſtes, & mille trophaea,
Pro cunctis torques ſplendet, & enſis: abi.

VGVCCIO . FAGIOLANVS

VGVCCIO Fagiolanus naſcitur ad Voltumnae fanum Togatae Galliae, ea caeli plaga, qua Apennini ad Arretinas Alpes uergunt. Hic aetatē primum in Gibellina factione prouehēda poſuit, quae, Guelfis inimica, iis in locis uigebat. Vt corpore, ita ingenio, praeſtans, aliquādo a ſuis deſertus, attrita galea, e medio ipſorum hoſtium, telis non modo confoſſus, ſed etiam onuſtus, ad ſuorum caſtra rediiſſe, dicitur. In hac domeſtica militia, cum multa praeclare geſſiſſet, a Tarlatis, Arretij Principibus, dux exercitus creatus, Florentinos ita uexauit, fugauitque, ut ſane pauci e Guelſis in finibus illis ſuperfuiſſent. Eodem tempore, defuncto Henrico Imperatore, Piſani unum Vguccionem elegerunt patronum, ac defenſorem rerum ſuarum. Huic totius belli cura aduerſus Lucēſes creditur. Acrius re ſuſcepta, pluribus caſtris reſtitutis, ad portas uſque fugiētes Vbertus eſt inſecutus. Lucam capit, ac, Guelfis partim pulſis, partim necatis, Gibellinos introducit. Hoc proelio Gerardus Lupidius, Picenus, militiae peritus, & uir alioqui fortiſſimus, qui Lucenſibus copiis praeerat, profligatus eſt; cum non ſine proditione Vrbs Etruriae nobiliſſima capta eſſet. Non multo poſt in Piſtorienſes machinatur. Dum opidum Montecatinum oppugnant Guelfi, ac magnis copiis aggreſſi, ſperant fulmen Gibellinorum exſtinguere, Vguccionis uictoria celerata eſt. Is, caſtris ipſis occupatis, in quo ſummum decus exiſtere iure optimo credunt milites, miſerandam caedem fecit. Eo tempore, Nebulam, fluuium occiſorum cadaueribus oppletum, diu cruentum fluxiſſe, narrant. Haec fuit dies illa Guelfis infauſta, in qua florentiſsimae Italiae Vrbes, funebri ueſte ſuſcepta, communem ſuorum calamitatem deplorarunt. Sic e Cannenſi pugna allatus nuntius Vrbis Romae lacrymas elicuit. Sic Alienſis dies tamquam infauſtus dictus eſt, quod ad Aliam fluuiū res infeliciter geſta eſſet. Verum humana nō ſemper eadem ſunt. id enim habent proprium, ut perpetua mutatione agantur. Dum miles generoſus, pluribus uictoriis clarus, Lucae ad menſam ſedet, ecce nuntius qui Piſas iugum excuſſiſſe refert. Ille, nec minimum quidē, aut uultu, aut loco dimotus, non prius e menſa abiit,

quam

quam ſatis commode conuiuij finem fecit. Quam diſſimilia ſint hominum ingenia, ex exemplis, quae addam in hoc ipſo rerum genere, plane liquet. Perſeus Rex, manus abluens, iam cenaturus, cum accepiſſet, hoſtem prope adeſſe, ita metu attonitus, ac conſternatus fertur, ut, e ſolio repente exſiliens, & ſe uictum, ne conſpecto quidem hoſte, clamitans, fugam properaret, falſo perculſus rumore, cum idem Romanos intercludere facile potuiſſet. Canis uero Scaliger, licet proxime diſcubiturus, ieiunus tamen, Taruiſium prope perditum reſtituit, exiſtimans, poſſe ſe poſtea uictorem cum ſuis opipare prandere. Audierat is, Taruiſium magno in diſcrimine uerſari: mutata ueſte, aſellum conſcendit, ac, Taruiſium ingreſſus, arma induit, hoſtibusq. occurrit, antequã uel de illius aduentu ſuſpicarentur. Itaque Patauini duces, qui eo, ueluti ad certam uictoriam, uenerãt, fuſis ordinibus capti ſunt. At Vguccio, bene pranſus, uix Luca egreſſus fuerat, cum ex ergaſtulo in lucem, & imperium Caſtrucius educitur a Lucenſibus, in quod fuerat dolo malo coniectus, ut, cuius extimuerat ingenium, uires, & uultum perhorreſceret. Ille interea Vrbes duas, eaſq. Etruriae nobiliſſimas, ut falſo dicto circumferebatur, deuorarat. Infelix dux Piſarum portis, quarum paullo ante regulus erat, ſe ſe proripit, nec umquam ex ea turpiſſima fuga deſiſtit, donec ad Foſſas nouas, olim Papirianas, ſupra amnem Macram conſtitit, ubi a Spineta Malaſpina, Gibellinae factionis, uiro clariſsimo, omni humanitate exceptus eſt: quae laus Regiae hoſpitalitatis inter ceteras eius Familiae celebratur. Hinc abiens, ſtatuit Cani Scaligero operam ſuam nauare, in quo uno miſerorum omnium erat perfugium. Is enim, uir pius, ac generoſus, liberale, atque illuſtre domicilium totius hoſpitalis diſciplinae ſingulari arte diſtinxerat, ac formarat. Neque uero mirandum, hac rerum uarietate. Non nouum id eſt. Dionyſius iunior, in Graeciam fugiens, ludi magiſter fuit. Perſeus, Macedonum rex, a Paullo Aemilio proelio uictus, Regno, ac libertate ſpoliatus, in Romano triumpho, ante currum uictoris, catenatus ductus eſt. Gylimerus, rex Vandalorum ultimus, opibus, ac potentia clarus, regnis, longe lateq. patentibus, in Africa, quae a maioribus ſuis acceperat, deturbatus, a Beliſario, Iuſtiniani Imperatoris duce, captus, atque ad triumphum Byzantium ductus eſt. Quo tempore Beliſarius uotum nuncupatum, ut ſcribunt Bibliothecarius, & alij q. complu-

res fide digniſſimi hiſtorici, ſoluit in Hortino S. Iuuenalis templo, quod nos pueri collapſum uidimus, aedificato. Sic, longe poſt, (ea eſt rerum humanarum uarietas) Beliſarius ipſe, dux maximus, ac potentiſsimus, oculis captus, ſtipem quaerere coactus eſt. Quamquam Vguccio in eo miſeriarum ſtatu non deſtitit, aetate graui, animi retentis bonis, quae ſola ſecum geſtabat, in Patauinam uſque obſidionem Scaligerum ſequi. Ad Paludes Medoaci amnis, aegrotans, Veronam delatus, non ſine militari pompa, ad ſepulcrum deportatur, Milleſimo trecenteſimo decimononono.

VIR-

VIRGINIVS . VRSINVS

VIRGINIVS Vrſinus, Neapolionis filius, Magnus Comeſtabilis nuncupatus, elementa diſciplinae militaris domi accepit a patre, cura quo in pluribus proeliis uerſatus eſt. Quo tempore Sixtus IV. ac Ferdinandus Rex inter ſe dimicabāt, Virginius, Pontificis partes, una cum Roberto Malateſta, ſecutus, nouam Albam, quae eſt ad radices montis Albani, ac Pandulphi caſtri, Albae Longae dorſo imminens, recuperauit. Eodem duce, Alphonſus Aragonius, pugnam detrectans, ad Velitras profligatus eſt. Sex erant Rom. militiae ordines: tribus quidem Iacobus Comes, Io. Franciſcus Tolentinus, ac Renatus Triuultius praeerant; reliquos Virginius, Iordanus, ac Nicolaus Petiliani Comes, omnes Vrſini, ducebant. Inter omnes Virginius enituit, & Vicinus, Petri Angeli filius. Is enim tantam ſtragem feciſſe dicitur, ut unicus meritus fuerit, in eo triumpho, in quo Robertus Malateſta lauream Romae adeptus eſt, Regium raptare uexillum. Hoc ipſo in triumpho ſublatus eſt Robertus: eodemq. die dux quoque fortiſsimus Federicus Feltrius meliorem in caeleſti patria coronam accepit. Interea Columnenſes Lauinium opidum, alterius Aeneae coniugis nomine celebre, obſederant. Quo nuntio ad Virginium perlato, ne ſe opidani dederent, ueritus, lectiſsimis militibus hoſtem de nocte aggreſſus, caſtra diripit: tum, praeſidiis relictis, Vrbem repetit. Defuncto Sixto IV. ac creato Innocentio IIX. uere innocentiſſimo Pontifice, cum is Proſperum, ac Fabricium Columnam euexiſſet, indignatus Virginius, ad Ferdinandi caſtra uires ſuas conuertit, a quo praefectus copiis ſuis eſt maxima auctoritate. Hinc nata illa diſſidia, iactaq. ſemina, quae ſegetem ingentem diſcordiarum aluerunt. Romani proceres inteſtinis bellis agebantur. Ad Anienem acriter certatum eſt, qua parte pons ille peruetuſtus a nefandiſſimo Totila Tyrāno, ad aquam uſque euerſus, a Narſete deinde fuit reſtitutus. Lapide paene uno hinc diſtabat Fidene, Veientum Colonia, qua parte Romanus exercitus caſtra poſuerat. Narſes uero is, qui pontem reſtituerat, ob

animi

animi uirtutem, patricius creatus, pro Beliſario in Italiam miſſus, decem annis uariis euentibus pugnauerat. Vetus Ducis elogium, ingenti in marmore, pueri, inter Seminarij Rom. alumnos, eo uſque animi gratia, ſtudioque antiquitatis progreſſi, ex utroque pontis latere, maxima cum uoluptate legebamus. Meminimus quoque, ad Anienem Torquatum pugnaſſe, in eundem, pro patria ſeruanda ſe dediſſe praecipitem Horatium. Hic, & is, de quo dicebam Narſetes, uictoria reportata, libertatem Romanae Vrbi reſtituerat. Vt uero etiam noſtris ſaeculis eodem in loco ſimile exſtaret apud poſteros exemplum Virginius afflictae Italiae refugium datus fuiſſe dicitur. Certatum praeterea ad pontem Miluium, quo loco Conſtantini Magni celebrata uictoria, ſigno diuinitus dato, cuius aureum numiſma magni pretij litteris Graecis, quas protuliſſe beatae mentes feruntur, atque in uelabro Vaticano legimus reſtitutas, fuit aliquando in manibus Achillis Mafaei, antiquarij, ac ſtudiorum meorum patroni unici. Pace facta, ut eo redeam, Milleſimo quadringenteſimo octuageſimo ſexto, Virginius, Iulius, ac Paullus Vrſini, Pontifici Maximo adhaeſerunt, ijs plane conditionibus, quas optare potuiſſet. Virginio duce, ad Vicum Vari deducuntur ad colloquium Alexander Sextus, ac Alphonſus Secundus. Tum Virginius Neptunium uenit, ut Gallicam claſſem portu repellat. Hinc Viterbium aduolat, ut ſe Carolo Octauo opponat. Erat is potentiſſimus; quo auctore Tuſcanellae ciues, cum in gratiam Pontificis Gallos aditu prohibuiſſent, ſcalis, tormentisq. bellicis admotis, ad horam tertiam miſere expugnati, attritiq. ſunt. Itaque Virginius, cum tantis copiis minus reſiſtere poſſet, una cum Nicolao ſe ſe Nolam recepit; ubi Arſius Gallus, contra fidem pactionis, ducibus manu captis, copias quoque eorum hoſtiliter eſt depraedatus. Ducebantur ambo in Galliam captiui uiri fortiſſimi, cum e tumultu Tarrenſis pugnae, non ſine Gallorum damno, liberati reſtituuntur. Conatus eſt deinde Virginius Petrum Medicem patrio ſolo, quo Carolus Octauus illum eiecerat, reſtituere. Poſt, ad Senarum balnea ſecedens, a Camillo Vitellio duodecim aureorum millia Caroli Octaui nomine miſſa, non tam auro permotus, quam quia Proſper, ac Fabricius erant in deliciis apud

Alphon-

Alphonſum, titulo etiam Comeſtabilis tributo, condicionem accepit. Contremuit eius primo aduentu Apulia; uerum paullo poſt, ad Baias plurimis Gallis deſideratis, eo potiſſimum morbo, cui nomen milites aduenticij dederant, captus plurimorum Ducum magiſter Virginius, in Oui arce, non ſine ueneni ſuſpicione, ſublatus eſt, annum agens circiter quinquageſimum, a glorioſae Virginis partu Milleſimo quadringenteſimo nonageſimo ſeptimo.

VITEL-

VITELLOCIVS. VITELLIVS

VITELLOCIVS Vitellius, a patre, adoleſcẽs, Virginio Vrſino, in diſciplina militari inſtituẽdus traditur; ſub quo tantum ſibi nominis, & amoris conciliauit, ut illi ex familia ſua Paulli Vrſini filiã in matrimonium dederit. Hic phalangem peditũ ita inſtituit, ut Itali haſtas, ſecures, ferrea pectoralia, & galeas, externorum exemplo, geſtarent. Quam diſciplinam, ex Germania in Italiam traducens, Tifernates ſuos primus edocuit. Ac, ſecutos ceteros, ueterum eorum armorũ congeries illius ſaeculi apud meos fidem facit. Huic quoque accepta referenda eſt ea ratio circumueniendi hoſtis opportuniſſima, qua milites in acie procurrerent, conſiſterent, regrederentur, & in cochleam ita ſe ſe inſinuarent, ut mirifice ſtaret ordo. Cuius ego aliquando ſpeciem adoleſcentior admiratus ſum ad Nouum caſtrum, non multo ante ditionem Iulij Caeſaris Columnae, Praeneſtinorum Principis, exerceri ab flore eius iuuentutis, duce Andrea de Affectis, qui ex nauali uictoria cum noſtris redierat. Illi agminatim ſe ſe in gyros, magnosq. orbes, introrſus uacuos, coronae modo decurrentes, ut aduerſi, auerſiq. pariter hoſtem ferire uiderentur. Hac arte Vitellocius Vgonem Moncatam, Borgiae Caeſaris ducem, in Vmbria profligauit. Nec minus etiam una cum Carolo Vrſino inſignem illam praedam uirorum clariſſimorum abegit ad Lacũ Vadimonium, ubi olim ad bellum profecturi milites, ueteri ſuperſtitione, iuramento ſe obſtringere ferebantur. Non me latet, de loco alios aliter ſentire, & id totum proelium ad Baſſianum, uicinum caſtrum, trahere. In quo ignoſcendum eſt imperitis locorum. Is enim perſimilis eſt error illi, qui latiſſime de Vadimonio lacu per uagatur, quem eidem opido adiungunt, loci uicinitate; cum tamẽ, in agro Hortino eum eſſe, conſtet. Qua uero ratione ad Baſſianum proelium geſtum ſit, ad quod aſperitate uix pedites, non modo equites adſcẽdant, quaſi Ithacam, & nidulum ſaxulis affixum. At, circa Vadimonium; ſic enim ipſi accolae, uel etiam rudes, & aratores, lacum illum uocant, ad Tiberim uſque, indeq. uerſus Oriẽtem, qua parte Vrbs noſtra imminet, tanta protenditur planities, quantam uix acies oculorum aſſequatur. Hanc, quaſi quoddam

belli ſtadium,in theatri ſpeciem, perpetuis ſubiectam collibus,fabricata natura. Huc accedat auus meus Fabricius Roſcius, qui & ipſe bello intereſſe potuit, cum in armis ſemper ediderit familia noſtra homines non inertes,ut norunt ciues noſtri, uel certe ex ipſa arce Hortina,quae tunc temporis non erat plane deleta,proſpicere facile erat. Is in Topographia ſua,quae eſt apud me manuſcripta,pugnae,de qua loquimur,Vadimonium in Faliſcis locum praeſcripſit,ac diem notauit V I I.Kal.Februarij, Milleſimo quadringenteſimo nonageſimo ſeptimo. Qua de re nos uberius,ne quis in poſterum in hoc aberret, quando his ipſis diebus non defuerunt,qui non modo perperam apud ſe ſentirent,ſed etiam inanis picturae coloribus naturarum ſitus, famamq. praeuerterint. Vt uero redeam eo,unde fueram digreſſus,Vitellocius,hac parta uictoria,una cum Petro Medice, qui tunc a patria exſulabat, Florentinis ad quadraginta caſtra in Etruria,nec non Cortonam, & Arretium ademit. Meruit deinde ſub Alexandro VI.ſub quo Altobellum,Tudertinorum Tyrannum,Aquaſpartae latentem, occidit:cuius eſt ad macellum caro diuendita, ob crudelitatem, qua ille uſus fuerat in ſuos,& Hortinos milites, ex quibus ad Auguſti pontis fauces concluſos centum iuuenes Ameriam tracti miſere ibidem trucidati ſunt. Exſtat manuſcriptum elegãtiſſimum ea de re poema,quod Delphinus,Iouij conſilio, poſterorum memoriae conſignauit.Sed, ſub Alexandri fide non diu permanſit, impatiẽs ſcilicet Caeſaris imperij. Verum breui factum eſt, aſtu,ut in gratiam reciperetur Vitellocius,qui,colloquij ſimulatione, ac conſilio,de rebus bellicis, Senogalliam uocatus, cum Paullo Vrſino ſocero,Franciſco Vrſino,Grauinae regulo, ac Oliuerotto Firmano,miſere ſtrangulantur,circa an.CIↃ IↃ II. Ad huius,ut olim ad Aiacis tumulum, ſic Virtutem eiulantem Aſclepiadis tetraſticho finximus:

Dilacerata comas, uiſu miſerabilis, eheu,
Conſideo ad cineres hic Telamoniadae.
Icta dolore graui, mihi quod fraus callida quondam
Iudicibus Graijs ante locata fuit.

FINIS

REGESTRVM

* A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V Y X Z,

A a Bb Cc,

Omnia ſunt integra foglia, praeter C c, quod eſt folium cum dimidio.

ROMAE
Ex Typographia Bartholomaei Bonfadini
CIↃ IↃ XCVI